






Est
Ioa:^is Baptæ
de
Linis
1708



COSMI Philoso-phici

Friderici Giannetti Asbianensis Tomus II



Florentiæ

Ex Typogr. sub Signo Passionis

MDC LXXXII.





FRIDERICI GIANNETTI
ALBIANENSIS S. T. D.
Ex Presbyteris Congregat. Iesu Saluatoris Insignis Colleg. Flor. S. Laurentij Canonici atque Academici Apatista

COSMVS PHILOSOPHICVS
SEV
ARISTOTELICAE PHILOSOPHIAE
Vniuersalis
EXPLANATIO
In commodum studiosæ Iuuentutis edita.

Serenissimo Principi
COSMO III.
ETRVRIÆ MAGNODVCI
Dicata.

TOMVS SECVNDVS
Physicam Complectens.




FLORENTIÆ
Ex Typogr. Sanctis Franchij 1681.

Sub Signo Passionis, de Superiorum Licentia.

DEFINITIONES

Huius Tomi II.

ARISTOTELICAE PHILOSOPHIAE

INDEX

Capitum Definitionum.

Gene-

DEFINITIONES
DESCRIPTIONESVE
Ex hoc II. Tomo in vnum collectæ
STVDIO
FRANCISCI CIONACCII
Sacerdotis Florentini
Et Auctoris quondam Discipuli.

QVÆ
RERVM INDICIS VICE
Defungi possunt.

COSMI Philoso-phici

Friderici Giannetti Asbianensis Tomus II



Florentiæ
Ex Typogr. sub Signo Passionis

MDC LXXXII.



FRIDERICI GIANNETTI

ALBIANENSIS S. T D
Ex Presbyteris Congregat. Iesu Saluatoris
Insignis Colleg. Flor. S. Laurentij Canonici
atque Academici Apatbistæ

COSMVS PHILOSOPHICVS

SEV

ARISTOTELICAE PHILOSOPHIAE
Vniuersalis

EXPLANATIO


In commodum studiosæ iuuentutis
edita.

Sereniſſimo Principi

COSMO III.

ETRVRIÆ MAGNODVCI
Dicata.

TOMVS SECVNDVS
Physicam Complectens.





FLORENTIÆ

Ex Typogr. Sanctis Franchij 1682.

Sub Signo Passionis, de Superiorum Licentia

DEFINITIONES

Huius Tomi II.

ARISTOTELICAE PHILOSOPHIAE

INDEX
Capitum Definitionum.

Gene-

modo. 5.

Id, ex quo ſequitur aliud. 5.

Id, vndè aliquid eſt, aut fit, aut cognoſcitur. 5.

Complexum, ſeù cognitionis, id, vnde aliquid cognoſcitur. 5. 8.

Extrinſecum id, quod principiat dando aliquid à ſe diſtinctum. 8.

Incomplexum rei in fieri id, vnde aliquid fit. 5. 8.

Incomplexum rei in facto eſſe id, vnde aliquid eſt. 5. 8.

Intrinſecæ connexionis id, ex quo aliud per ſe oritur. 6. 7.

Intrinſecum id, quod principiat dando ſe ipſum. 8.

Quod neque ex alterutro, neque ex alio, ſed ex hoc omne. 8.

Ordinis, ex quo aliud contingenter ſequitur. 6.

Quod non neceſſariò poſt ipſum aliquid eſt, & poſt ipſum aliquid eſſe vel fieri natum eſt. 6.

Generatio

Effectio rei ex ſuppoſito ſubiecto. 12. 27

Mutatio ſubſtantialis. 14.

Res in fieri. 9.

Tranſitus eſſentialis de non eſſe ad eſſe. 7.

Tranſitus ſubiecti de non eſſe formæ ad eſſe formæ ſubſtantialis. 12.

quibus ens determinatur, est enim quid, de quo singula horum prædicantur. 20.

Primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit non secundùm accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum. 19.

Principium passiuum motus. 71.

Pura potentia. 20.

Subiectum aliquod remanens idem in genito, quod erat in corrupto. 17.

Subiectum, ex quo necessariò fiunt quæcunque fiunt. 10.

Subiectum potens recipere quemlibet actum. 20.

Actus

Metaphysicus seù *entitatiuus*, ipsa realitas, per quam res dicitur esse actu id, quod est. 21.

Physicus, per quem potentia determinatur ad speciem entis physici. 21.

Existentia

Extrà omnes causas sistentia. 25.

Vltima actualitas. 26.

Appetitus

Ordinatio rei in bonum. 30.

Elicitus, per quem cognoscens bonum ordinat se ad ipsum. 30.

Innatus ordinatio à natura indita in bonum ab appetente non cognitũ. 30.

Naturalis ordinatio rei in bonum ab appetente non cognitum. 31.

Impossibile

Ab intrinseco vel *simpliciter*, cuius conceptus inuoluit contradictoria. 37.

Ab extrinseco seù *secundùm quid*, ad cuius productionem nequit dari aliquid necessarium, siuè sit causa, siuè conditio, vel quid simile. 33.

Atomus

Corpus indiuisibile. 9.

Minutissima quædam particula materiæ indiuisibilis seù insectilis. 37.

Vacuum

Coaceruatum locus omni prorsus corpore carens. 44.

Dispersū seù *disseminatum* spatiola omni prorsus corpore carentia, quæ inter atomos corpus constituētes reperiuntur. 44.

Forma

Bonum & perfectio materiæ. 17. 31.

Ratio illa, per quam singulæ res naturales sunt tales substantiæ in tali specie, diuersæ substantialiter ab alijs. 36.

Ratio substantiæ. 35.

Res, per quam subiectum fit de nouo aliquid, quod prius non erat. 10.

Substantia quædam partialis, quæ per vnionem cum materiâ componit substantiam integram totalē & per se vnam. 34

Partis, quæ recipitur in parte totius. 52.

Totius, quæ est in toto. 53.

Tota quidditas compositi. 53.

Materia-

Naturale

Entitas causæ

Res ipsa, quæ influit esse in aliud. 80.

Virtus causandi

Ratio illa, vi cuius entitas causæ potest influere. 80.

Causalitas

Actualis influxus in compositum. 81.

Id, quo causa denominatur actu causans. 97.

Processio seù actio effectus à causâ. 83.

Actio

Causalitas efficientis, per quam denominatur causa agens in actu secundo. 83.

Accidentalis, qua causa producit accidens. 83.

Substantialis, qua causa producit substantiam. 83.

Instantanea, qua causa producit effectum totum simul. 84.

Successiua, qua causa producit effectum successiuè. 84.

Immanens, qua causa producit effectum ad intra. 84.

Quæ fit cum mutatione subiecti. 84.

Transiens, qua causa producit effectum ad extra. 84.

Emanatio

Fluxus naturalium rei proprietatũ. 84.

Quæ fit sinè trasmutatione subiecti. 84.

Conditio

Id, sinè quo causa exercere nequit suã causa-

causalitatem. 81.

Materialis causa vide *Materia*

Formalis causa

Effectus agentis. 80.

Vide *Forma*

Efficiens causa

Id, vnde principium mutationis primum aut quietis. 82.

Per accidens, quæ habet quandam cum causâ similitudinem, vel connexionem. 85

A qua indirectè, & nõ vt causâ, effectus pendet. 85.

Per se, à qua vt tali directè pendet effectus, vt effectus est. 85.

Particularis, quæ non cum alijs causis subordinatis sed se solâ peculiares effectus producit. 85.

Vniuersalis, quæ cum pluribus causis particularibus habet concurrere ad earũ effectus producendos. 85.

Instrumentalis, vide *Instrumentum*

Principalis, quæ per virtutem nobiliorem vel æquè nobilem cum effectu, influit in actionem, per quam effectus producitur. 86.

Æquiuoca, quæ producit effectum à se specie diuersum. 87.

Vniuoca, quæ operando per virtutem propriæ formæ producit effectum eiusdem secum speciei. 87.

Libera, quæ, positis omnibus prærequisitis

sitis ad agendum, potest agere aut non agere. 87.

Necessaria, quæ, positis omnibus prærequisitis ad agendum, non potest non agere. 87.

Moralis, quæ tantum imputatiuè operatur. 87.

Quæ realiter non agit, sed ipsi imputatur effectus. 87.

Physica, quæ per virtutem intrinsecam seu realem operatur. 87.

Partialis, quæ cum consortio alterius in eodem genere & ordine causat totum. 88.

Totalis, quæ sinè consortio alterius in eodem genere & ordine producit totum. 87. 88.

Instrumentum

Id quod influit in effectum per virtutem inferiorem effectui, qui producitur. 86.

Actiuum seù *naturale*, quod habet in se qualitatem actiuam. 86.

Passiuum seù *artificiale*, quod à causâ principali non accipit virtutem actiuam, sed solum motum localem. 86.

Coniunctum, quod non agit nisi vt actu coniunctum causæ principali. 86.

Separatum, quod non eget actuali coniunctione & concursu principalis ad agendum actu. 86.

Passum

Passum

Terminus actionis. 88.

Agere

Dare alteri esse. 88.

Destructio, seù Non esse

Quid non reale. 89.

Finis seù Finalis causa

Id, cuius gratiâ. 95.

Id, quod causat secundùm esse intentionale. 101.

Cuius seù *qui*, res, ad quam adipiscendam agens mouetur. 95.

Cui, illud, cui procuratur finis qui. 95.

Formalis operatio, in qua vltimò sistit agens. 95.

Obiectiuus ipsum obiectum, quod eâ operatione attingitur. 95.

Operantis id, cuius gratiâ, non ipsum opus aut facultas ex propriâ naturâ, sed operans, aut habens illam facultatem, aliquid facit. 95.

Operis id, cuius gratiâ est opus, seù facultas ex propriâ naturâ. 95.

Proximus, qui itâ propter se amatur, vt tamen vel ex naturâ suâ, vel ex intentione operantis tendat & referatur in vlteriorem finem. 96.

Vltimus, qui itâ propter se amatur, vt ad vlteriorem finem non ordinetur. 96.

Effectus

Quidquid ponitur vi alicuius causæ. 96.

Naturalis

Naturalis id, quod semper aut frequenter fit. 105.

Per accidens id, quod rarò & præter intentionem causæ fit. 105.

Bonum

Id, quod omnia appetunt. 100.

Id, quod trahit ad se voluntatē. 103.

Fortuna

Causa operans ex electione, cuius effectui per se intento coniungitur alter per accidens. 106.

Casus

Causa operans non ex electione, cuius effectui per se coniungitur alter per accidens. 106.

Fatum

Causarum colligantia ex astrorum motibus ac vi efficaciam trahens. 105.

Necessitas rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. 105.

Immobilis dispositio in rebus mobilibus, per quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus. 107.

Totum

Partes collectiue sumptæ. 108. 109.

Quod constat ex partibus. 108.

Pars

Quæ simul cum aliâ constituit intrinsecè totum. 124.

Prioritas

A' subsistendi consequentia, cum ex vnius existen

Circu-

Circularis, cum mobile fertur circà aliquod centrum. 120.

Obliquus, cum mobile fertur per lineam transuersam. 120.

Rectus, cum mobile fertur per lineam rectam. 120.

Naturalis, qui fit ex principio innato, seù extrinseco, non repugnante passo. 120.

Præternaturalis, qui est à principio extrĩ seco illum non exigente, nec renitente passo, sed indifferenter se habens. 120.

Violentus, qui fit à principio extrinseco renitente passo. 120.

Mobilitas

Formalis ratio obiecti Physicæ. 4.

Prædicatum intrinsecè constituens obiectum Physicæ. 4.

Quies

Priuatio motus. 73.

In termino ad quem perfectio motus. 152

In termino à quo contrarium motui. 152

Contrarietas

Differentia secundùm formam. 152.

Infinitum

Cuius finis non est. 121.

Cuius secundùm quantitatem accipiẽtibus semper aliquid accipere extra est. 121.

Quod impossibile est transire. 121.

Transitum habens inconsũmabilẽ. 121

Actu, seù *categorematicũ*, quod secundùm

ea

ea, quæ actu continet, finē non habet. 121

Potentia seù *syncategorematicum* cuius quidquid actu est, finitum est, quod vero potentiâ impertransibile est. 121.

Id, in quo dicuntur esse finita in infinitum 121.

Locus

Id, per quod satisfit interroganti vbi res sit. 133.

Extrinsecus superficies prima corporis continentis immobilis, 133.

Superficies corporis, quæ est in corpore, cuius est superficies. 134.

Communis, superficies mediatè tantùm rem continens. 135.

Proprius, superficies immediatè circumscribens locatum. 135.

Intrinsecus id, per quod corpus locatum constituitur in loco. 136.

Aliqualis vnio accidentalis locati cū loco. 136.

Formalis præsentia locati ad talem locum. 137.

Modalis entitas, per quam corpus locatum determinatur ad locum. 136.

Ratio formalis, qua mobile est in loco. 138.

Vbicatio intrinseca. 147.

Vbicatio superaddita loco. 136.

Vbicatio siue Esse in loco

Circumscriptiua esse totum in toto loco

cui non vi eius, quod habet. 150.

Secundùm quid, cum res dicitur mutari, quia aliqua eius pars mutatur. 150.

Simpliciter, cum aliquod primò & per ſe mutatur. 150.

Quantitas

Accidens, quo ſatisfacimus interroganti quanta res ſit. 153.

Continua, cuius partes termino cõmuni copulantur. 153.

Diſcreta, cuius partes nullo communi termino copulantur. 153.

Punctum

Mathematicum, ſiuè *Zenonicum*, quantitatis pars indiuiſibilis adeò minima, vt illâ minor nequidem concipi poſſit. 156.

Phyſicum realis entitas. 166.

Quid realiter indiuiſibile, virtualiter diuiſibile. 166.

Indiuiſibile phyſicum. 167.

Diuiſio

Coniunctorum ſeparatio. 160.

Mouens

Perfectiuum mobilis. 179.

Sympathia

Naturalis diuerſorum corporum ad inuicem conſenſio & inclinatio à naturâ inſita. 181.

Antipathia

Diuerſorum corporum naturalis diſſenſio. 181.

INDEX



INDEX
DISPVTATIONVM QVAESTIONVMQVE
In Octo Aristotelis Libros
De Physico Auditu.

Quæst.

In II. Librum.

In III. Librum.

In IV. Librum:

In V. Librum.

In VI. Librum.

In VII. Librum.

In VIII. Librum.

In Octo
ARISTOTELIS
LIBROS
De Physico Auditu

DISPVTATIO PROEMIALIS

DE Physico seù naturali auditu tractatum hunc Aristoteles inscripsit, tùm quia ad audientes per modum doctrinæ traditus est, tùm quia cum in ipso rerum naturalium principia, ex quorum notitia totius naturæ pendet cognitio, tradantur, attentâ opus est auscultatione, totis videlicet ingenij viribus in ipsum intendere. Eius subiectum alij dixerunt cum Alberto esse corpus mobile, quorum opinionem meritò non admittit. S. Thom. hîc Sect. 1. hac efficacissimâ ratione ductus, *quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro, nulla autē scientia probat suum subiectum, sed supponit*. Alij dixerunt esse substantiam naturalē; alij corpus naturale; alij ens naturale; alij denique, & est sententia S. Thomæ esse ens mobile.

& propterea entia mobilia, vt hîc significatur, non sunt. His prænotatis

Dico. Obiectū physicæ est ens mobile. Probatur. Illud conuenientiùs dicitur obiectum alicuius facultatis, de quo primò & per se demonstrantur proprietates & passiones in illâ; sed proprietates & passiones obiecti physicæ demonstrantur in physica primò & per se de ente mobili; ergò conuenientiùs dicitur ens mobile obiectum physicæ. Minor probatur; quia proprietates obiecti physicæ sunt prçcipuè motus, tàm in genere, quàm in specie; sed motus primò & per se demonstratur de ente mobili; ergò &c. Minor probatur: quia de illo demonstratur primò & per se motus, quod venit in definitione ipsius motus; sed ens mobile venit in definitione motus; ergò de ente mobili primò & per se demonstratur motus. Minor est certa; nam motus definitur actus entis in potentiâ in quantum huiusmodi, scilicet mobilis vt mobile.

Ex his intelligitur primò cum assignetur obiectum non sub formalitate corporis; quia scilicet ens est quid notius corpore, in physica enim probatur mobile esse corpus, atque adeò non est notissimū, cū tamen sit notissimum esse ens; & hinc alia ratio desumitur, quia scilicet nulla scientia probat, sed supponit suum obie-

ctum, ergò cum mobile esse corpus probetur in physica, cum probatur omne mobile esse diuisibile, esse vero ens non probetur, sed supponatur, rectiùs assignatur ens quàm corpus. Secundò propter eamdẽ rationem, quia scilicet ens est notissimum, substantia verò non est notissima, cum dubitetur an mobile sit substantia, non dubitetur verò an sit ens, non assignatur pro obiecto substantia mobilis. Tertiò non assignatur ens naturale, sed mobile; quia naturale obscurius est mobili, vt enĩ intelligatur naturale debet explicari per mobile, dicendo naturale est illud, quod mobile est, seù quod habet naturam, quæ est principium motus, mobile vero clarius est; obiectum autem in scientijs assignandum est sub formalitate notiori, & clariori. Quartò intelligitur quodnã discrimen sit inter ens, vt consideratum à physicâ, & vt consideratũ à metaphysicâ nam physica considerat, vt includit materiã sensibilem, scilicet vt est compositum ex materiâ, & formâ; metaphysica verò; cõsiderat ens sub aliâ abstratione, scilicet præcisè, vt recedit à nihilo, & abstrahit à materiâ. Quintò denique quod mobilitas, pro vt hîc sumitur, non est passio seù proprietas obiecti physicæ, vt est motus; non enim consequitur ipsum obiectum, sed est formalis ratio seù prędicatum intrinsecè illud constituens. IN-

IN PRIMVM
Aristotelis Librum de Physico
Auditu.

DISPVTATIO I.

De principijs rerum naturalium.

CVm eò præsens labor spectet, vt entis mobilis propriam assequamur scientiam, & hæc, iuxtà ea, quæ diximus in Logicâ, non habeatur nisi per cognitionem causarum, opus est vt enucleatè ipsas entis mobilis causas perscrutemur. Quoniam verò causa per principium, veluti per genus, explicari debet, propterea prius de principijs agendum est.

QVÆSTIO VNICA

Quot & quæ sint principia entis mobilis.

PRincipium est id, ex quo sequitur aliud; quare Arist. 5. Metaph. inquit *Principium esse id vndè aliquid est, aut fit, aut cognoscitur*, & D. Thom. 1. Parte Q. 33. Art. 1. *Principium est id, à quo aliquid procedit quocunque modo.* Ex quibus liquet, ad rationem principij duo requiri, scilicet quod sit alio prius, & vt aliud ex ipso aliquo modo sequatur; e. g. vt

id, ex quo aliud per se oritur, & hoc oriri per se duplici pacto fit. Primò non per influxum positiuum, sed per quamdam necessariam habitudinem, vi cuius fit, vt naturaliter nequeat aliud sequi, nisi ex hoc principio: e. g. naturaliter nequit sequi generatio, nisi ex priuatione formæ introducendæ, ideòque generatio rei naturalis habet intrinsecam habitudinem seù necessarium ordinem ad priuationem, tamquam ad id, vndè sequitur; generatio enim est essentialiter transitus de non esse ad esse; ideòque priuatio est principium generationis, vitalis habitudinis necessariæ, non autem per influxum positiuum, quia cum priuatio sit non ens, non potest positiuè influere. Secundò per positiuum influxum, seù per cõmunicationem sui esse, qui modus cõmunicationis in creatis semper inuoluit dependentiam principiati à principio: e. g. Petrus pater est principium Pauli filij per influxum positiuũ, quia cõmunicat esse Paulo per veram generationem.

Ex dictis clarè intelligitur, quid significauerit Arist. loco citato 5. Metaph. videlicèt quòd cum omne principium sit vel rei, vel cognitionis, si sit rei duo habet membra, cum enim quælibet res in duplici tantùm statu inteligatur, nempè vel in fieri, vel in facto esse, principia rei

sunt vel principia in fieri, ideft, ipsius effectionis rei, vel principia in facto esse, ideft rei iam constitutæ; & hoc exponit Philosophus per illas particulas, *vnde aliquid est, aut fit*, quarum primæ significant rem constitutam, secundæ ipsum fieri rei. Reliquæ verò *aut cognoscitur*, significant principia cognitionis.

Patet etiam principia alia esse intrinseca, & alia extrinseca. Intrinseca sunt quæ principiant dando se ipsa. Extrinseca sunt quæ principiant dando aliquid à se distinctum: e. g. Petrus pater est principium extrinsecum Pauli filij, quia principiat ipsum non dando se, sed aliud distinctum à se, nempè naturam seù esse filij; materia verò & forma, constituentes naturale compositum, sunt principia intrinseca, quia ipsum constituunt dando se ipsas. De principijs non extrinsecis sed intrinsecis hîc est sermo, quæ definiuntur ex Arist. 1. Physic. tex. 42. *Sunt quæ neque ex alterutris, neque ex alijs, & ex his omnia.*

Ex Philosophis quidam vnum, quidã multa rerum naturalium principia posuerè. Ex illis, qui posuerunt vnum, Melissus existimauit esse ens, & hoc immobile: cæteri putarunt esse mobile, sic Diogenes affirmauit, omnium rerum principium esse aerem, Thales aquam, Heraclitus ignem. Ex illis verò, qui plura principia posue-

poſuerunt, aliqui dixerunt eſſe finita, alij infinita. Parmenides aſſignauit duo, ſcilicet calidum & frigidum, ſeù ignem & terram; Empedocles poſuit ſex, nempè quatuor elementa, amicitiam, & litem. Ex his, qui poſuerunt infinita, Democritus affirmauit eſſe atomos, quas dicebat eſſe corpora indiuiſibilia vnius generis & naturæ, quæ tamen differunt, quia habent ad inuicem tres contrarietates; vnam ſecundùm figuram, quæ eſt inter curuum & rectum; aliam ſecundùm ordinem, quæ eſt prioris & poſterioris; aliam ſecundùm poſitionem, videlicet antè & retrò, ſursùm & deorsùm, dextrorsùm & ſiniſtrorsùm, ità vt ex atomis vnius naturæ fierent diuerſa entia naturalia, e. g. canis, lapis, leo, quæ differrent ſecundùm diuerſitatem figuræ, poſitionis, & ordinis atomorum. Anaxagoras poſuit infinita principia, non vnius tamen generis & naturæ, ſed diuerſæ: e. g. infinitas partes carnis, infinitas oſſis &c.

Ariſtoteles 1. Phyſic. cap. 3. tria eſſe generationis, ſeù rei in fieri principia, ſcilicet ſubiectum, priuationem & formam: duo verò rei in eſſe ſeù in facto eſſe, ſcilicet materiam & formam, aſſeruit.

Quod vt clariùs & faciliùs intelligi poſſet, prænotauit cap. 1. tex. 34. omnes

naturales Philosophos in eo principio cō uenisse, *ex nihilo nihil fit*, ac propterea siuè in artificialibus, siuè in naturalibus, quæcunque fiunt, necessariò fieri ex aliquo, quod est: e.g. dùm fit statua Cæsaris, necessariò debet esse marmor, æs, lignum, aut aliud subiectum, ex quo fiat: dùm fit homo musicus, necessariò debet esse homo, qui fiat musicus: dùm fit ex ligno ignis, necessariò debet esse lignum, ex quo fiat ignis. Hoc subiectum, quod in omni effectione seù mutatione supponitur esse, dicitur materia: res autem illa, per quam subiectum fit de nouo aliquid, quod priùs non erat (e. g. figura per quam marmor fit taliter figuratum, musica per quam homo fit musicus, ratio ignis per quam subiectum ex ligno fit ignis) dicitur forma. Quia verò, quod figuratur nunc figura Cæsaris, non erat anteà figuratum tali figurâ, & quod fit musicum, aut ignis, anteà non erat musicum, neque ignis; illud non figuratū, non musicum, non ignem, appellat Philosophus priuationem.

Rursùs prænotauit, quod in effectionibus naturalibus subiectum aliquandò permanet essentialiter, quod erat anteà; aliquandò mutatur in ipso aliquid essentiale: e. g. cum homo de non musico fit musicus, remanet essentialiter homo,

qui

qui erat priùs, & sic simul est homo & musicus; at cum ex ligno fit ignis, non remanet lignum & ignis, sed subie ctum desinit esse lingnum, & suscipit esse seù formam ignis; mutatio primo modo dicitur accidentalis, secundo modo dicitur substantialis; in vtrâque tamèn mutatione semper excluditur oppositum, seù priuatio formæ; sic dùm homo fit de non musico musicus, non permanet non musicus; dùm lignum de non igne fit ignis, non remanet non ignis. His positis

Dico. Principia entis mobilis in fieri seù generationis tria sunt, subiectum seù materia, res seù forma substantialis, & oppositum seù priuatio: in facto esse duo tantùm, scilicet materia & forma.

Probatur prima pars conclusionis. Principia generationis entis mobilis sūt ea, ex quibus per se primò fit ens mobile; sed hoc per se primò fit ex materiâ, formâ, & priuatione; ergò materia forma & priuatio sunt principia generationis entis mobilis. Maior est definitio principij. Minor patet ex prænotatis, & probatur vlteriùs; quia præcise intellecto, quod materia transeat ex priuatione ad formam substantialem, e. g. ex non igne ad ignem, habetur & intelligitur adæquatus conceptus generationis substantialis; ergò ens mobile per se primò fit

ex materiâ priuatione & formâ substantiali, ergò hæc tria sunt principia generationis entis mobilis.

Ex his patet quam rectè definita sit generatio substantialis, transitus subiecti de non esse formæ ad esse formæ substantialis. Patet etiam discrimen ipsius à creatione; nam in hac, cum fiat ex nihilo simpliciter, nō supponitur subiectum seù materia, ex qua fiat; quarè meritò dicitur, quod generari est rem fieri ex supposito subiecto, creari verò est rem fieri ex nihilo sui & subiecti. Denique, patet ex dictis, quod priuatio principiat vt terminus à quo, ac proindè vt est recedens; forma verò principiat vt terminus ad quem, ideôque specificat generationem, nam iuxtà diuersitatem formarum diuersæ sunt generationes.

Probatur secunda pars conclusionis. Principia entis mobilis in facto esse sunt ea, ex quibus ens mobile primò est, seù quibus præcisè habitis & intellectis habetur & intelligitur esse ens mobile, & quibus non habitis neque intellectis, licet habeantur & intelligantur omnia alia, non habetur nec intelligitur esse ens mobile: sed præcisè habitis & intellectis materia & forma, e. g. animâ rationali & corpore vnitis, habetur & intelligitur ens mobile, e. g. homo, & his non habi-

tis

tis neque intellectis non habetur neque intelligitur ens mobile; ergò materia, & forma sunt principia entis mobilis in facto esse. Vnio ipsarum nequit dici prĩcipium, quia cum sit nexus principiorum non est id, quod primò constituit, sed id quo principia constituunt compositum.

I. Ob. cum Francisco le Rèes. Ratiò principij generationis potiùs conuenit formæ recedenti, quam priuationi; ergò forma recedens est principium. Antecedens probatur: quia in generatione materia transit de formâ eius quod corrumpitur, ad formam eius quod generatur. Rursùs illi soli tribuenda est ratio termini à quo, cui propriè conuenit expelli vi formæ aduenientis: sed adueniens forma expellit propriè & formaliter formam recedentem; ergò &c.

Resp. Nego antecedens; & distinguo probationem. Materia transit de formâ per se, seù ex vi ipsius generationis, nego; per accidens, concedo. Materia igitur primò & per se in generatione substantiali transit de non esse formæ ad esse formæ, quia his præcisè intellectis intelligitur adæquata ratio mutationis substantialis; sicuti enim, vt habeatur mutatio accidentalis, satis est vt subiectum transeat de non esse formæ ad esse formæ accidentalis; e. g. de non esse mu-

fici

fici ad esse musici, non verò quod ex formâ accidentali transeat ad formam accidentalem; ità in mutatione substantiali, qualis est generatio ẽtis mobilis, satis est vt materia transeat de non esse formæ substantialis ad esse eiusdem formæ, non autem requiritur ex vi generationis, vt materia transeat de formâ ad formam. Insuper expelli propriè & per se à formâ, conuenit priuationi, per accidens verò formæ præcedẽti, quia illi per se primò conuenit expelli à formâ, cui per se primò opponitur forma: sed forma per se primò opponitur suæ priuationi; ergò per se primò conuenit priuationi expelli à formâ. Conuenit verò per accidens formæ præcedenti expelli, quia scilicet materia non est capax simul duarum formarum. Cõfirmatur & magis declaratur hæc doctrina; quia principia per se generationis sunt, quæ essentialiter & determinatè ad generationem requiruntur: sed forma præcedens hoc non habet, nam si generatio e. g. ignis necessariò requireret formam præcedentem, deberet aliquam formam numero vel specie determinatam requirere: sed non est assignabile, quam determinatè formam requirat, nam generatio ignis æquè fit, si materia transeat à formâ ligni, ac si transeat à formâ stuppæ, papiri, lanæ, paleæ, aquæ,

& a-

& aliorum in ignem transmutabilium; ergò nullam specie vel numero determinatam formam præcedentem requirit; ergò nulla forma præcedens est per se principium generationis. Requiritur tamen per se, vt materia transeat determinatè à priuatione talis formæ ad talem formam.

Dices in mutationibus accidentalibus Aristoteles docet, quod album ità fit ex nō albo, vt non fiat ex omni non albo, sed vel ex nigro, vel ex coloribus medijs; ergò mutatio accidentalis dicit essentialiter formam recedentem; ergò etiam mutatio substantialis.

Resp. Aristotelem rectè asserere, quòd nō quodlibet non album potest fieri albū, quia dantur non alba per negationem albedinis, quæ scilicet sunt incapacia ipsius, sic e.g. Deus, Angeli, anima, sunt non alba, quæ non possunt fieri alba, ideòque dicit, quod vt albū fiat ex non albo, necesse est, vt nō album dicat priuationem, nōn autem negationem albedinis, scilicet vt ità sit carens albedine, vt tamen sit capax albedinis; & hoc idem verificatur in generatione substantiali e. g. ignis, fit enim ignis, non ex omni non igne, sed ex eo solum subiecto, quod ità non est ignis, vt tamen sit capax ignis; quarè mens Philosophi non est, quòd hæc, vel illa forma

forma requiratur, ad generationem, sed solùm, quòd subiectum generationis, transeat de non esse illius formæ cuius sit capax.

II. Ob. Aristoteles docet, principia esse contraria: sed subiectum seù materia, neque cum formâ, neque cum priuatione, dicit contrarietatem, cum sit successiuè subiectum vtriusque, & cum vtrâque permaneat; ergò materia non est principium.

Resp. Aristotelem docere duo principia, scilicet priuationem & formam, esse contraria, idest opposita, non autem omnia principia; nam Lib. 1. cap. 3. tex. 67. ait. *Aliud est subiectum, hoc enim non est contrarium. Quarè neque solum contrariis principia quodammodo, sed duo (vt sic dicam) numero*, & tex. 68. *Manifestum est, quod oportet subijci aliquid contrarijs, & contraria duo esse.*

Quæres, an priuatio distinguatur à materiâ?

Resp. Distingui realiter demonstrant rationes Aristotelis, quarum aliquas hîc breuiter adducam. Prima est tex. 60. Ea, quorum vno permanente aliud non permanet, distinguuntur realiter, est enim impossibile, quod permanens & non permanens sint realitèr idem: sed non permanente priuatione, permanet materia; ergò priuatio & materia distinguuntur

tur realiter. Minor patet; nam dum materia de non igne transit ad ignem, permanet materia cum formâ ignis, & non permanet non ignis; ergò &c.

Secunda vt tex. 81. quia cum forma sit bonum & perfectio materiæ, appetitur à materiâ; sed forma expellit & destruit priuationem sibi oppositam; ergò si materia & priuatio essent idem, materia appeteret expulsiuum & destructiuum sui, quod est impossibile. Alias rationes videre potes tex. 62. & tex. 69.

DISPVTATIO II.

De Materia Prima.

EX his quæ nuper adduximus ex Aristotelis 1. Phisic. tex. 34. scilicet omnes naturales Philosophos in eo conuenire, quod naturaliter *Ex nihilo nihil fit*; est adeò manifestum dari materiam primam, vt in hac veritate immorandum non sit; quia nomine materiæ primæ intelligimus subiectum aliquod remanens idem in genito, quod erat in corrupto: sed datur in omnium sententiâ tale subiectum; ergò datur materia prima. Minor probatur: quia in omnium sententia *ex nihilo nihil fit*; ergò quæcumque fiunt, ex aliquo subiecto fiunt: sed hoc

subie-

subiectum est idem in genito, ac erat in corrupto; ergò &c. Minor vltima probatur, quia subiectum, ex quo fiunt quæ fiunt, est id, quod priùs non erat tale, & poterat fieri tale: v. g. subiectum, ex quo fit ignis, est illud, quod priùs non erat ignis, & poterat fieri ignis; subiectum, ex quo fit animal, est id, quod priùs non erat animal, & poterat fieri animal; sed si non remaneret idem in genito, ac erat in corrupto, non haberet hanc potẽtiam, vt fieret tale quid, quod anteà non erat; ergò &c. Minor patet: nam quod naturaliter & necessariò non remanet in genito, non potest fieri genitum; ergò non habet potentiam, vt fiat genitum, ideóque ignis nõ fieret ex subiecto ignibili, neque animal ex subiecto animabili, quod est absurdum; sicuti esset absurdum dicere, quòd æs figurabile figurâ Cæsaris non remaneret idem sub tali figurâ, ac erat anteà; ergò in omnium sententiâ concedẽdum est tale subiectum, quod dicimus materiam primam. Hoc significauit Aristoteles 1. Physic. tex 62. dicens. *Quod autem substantia, & quæcumque alia simpliciter entia ex subiecto quodam fiant, consideranti fiet vtique manifestum, semper enim est aliquid, quod subijcitur, ex quo fit, quod fit, vt plantæ & animalia ex semine.* His præmissis, alia ad materiam primam spectantia

ctantia inquiremus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm materia prima sit aliquis actus entitatiuus.

MAteriæ duplicem tradit definitionem Aristoteles; prima habetur 1. Physic. tex. 82. sic: *Primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit non secundùm accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum.* Cuius significatio, licet pateat ex dictis, tamen claritatis gratiâ hîc adducitur.

Dicitur *subiectum*, quia subijcitur formæ, quam recipit, & cum qua constituit compositum. Dicitur *primum*, quia in quâlibet substantiali generatione primò supponitur materia, ne res dicatur fieri ex nihilo. Dicitur *vniuscuiusque*, scilicet formæ, quia potest omnes formas substantiales recipere successiuè. Dicitur *ex quò aliquid fit*, scilicet compositum; nam recipiendo varias formas, varia cum ipsis composita constituit. Dicitur *non secundùm accidens*, scilicet constitutiuum substantiale & per se. Dicitur *cum insit*, scilicet est principium compositi intrinsecum. *Et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum* significant, quod materia est id, quod in corruptione non corrũpitur, sed, vt diximus, remanet eadem ingenito.

Se-

Secunda materiæ definitio habetur 5. Metaph. tex. 8. *Materia per se ipsam neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur, est enim quid, de quo singula horum prædicātur.*

Dicitur *neque quid* scilicet non est neque hæc neque illa substantia completa, quarè per ipsam non potest responderi ad interrogationem quid absolutè & simpliciter, ad quam responderi solet per substantiā completam, dicendo v. g. est homo, lignum &c. *neque quantum, nec aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur*, quia cum quantitas determinet ens ad esse tantum, qualitas verò ad esse tale, materia per se nihil horum facit. Dicitur *est enim quid, de quo singula horum prædicantur*, scilicet est capax recipiendi ista omnia, quia recipiendo formam substantialem, ponitur in prædicamento substantiæ, recipiendo quantitatem fit quanta, recipiendo qualitatem fit talis.

Ex his clarè constat, materiam esse subiectum potens recipere quemlibet actū, siuè substantialem, siuè accidentalem, ac propterea communitèr pura potentia vocatur. Hinc desumunt fundamentum Thomistæ dicendi, materiam nullum actū sibi identificare, sed omnem habere vi formæ. Scotistæ verò, cum alijs, actum entitatiuum, & propriam existentiam ipsi

ipsi concedunt independenter à formâ.

Vt clarè procedamus, prænotandum est, quòd actus alius est physicus, alius methaphysicus seù entitatiuus. Physicus est, per quem potentia determinatur ad speciem entis physici; e. g. forma ignis, per quam determinatur ad esse ignem; anima, per quam determinatur ad esse animal. Metaphysicus seù entitatiuus est ipsa realitas, per quam res dicitur esse actu id, quod est. Hoc posito

Dico. Materia prima, licèt sit pura potentia, est tamen per se ipsam suus actus entitatiuus.

I. Probatur; quia materia prima creata à Deo pręcisè per suum esse opponitur potentiæ obiectiuæ; non enim est in statu puræ possibilitatis, sicuti sunt ea, quæ creari possunt, & nondum creata sunt: sed id per quod aliquid opponitur potentiæ est actus, ergò materia prima per suum esse præcisè est actus, non physicus, ergò entitatiuus. Minor patet; quia potentiæ, qua potentia, nihil opponitur, nisi actus; ergò. Confirmatur quia, quod est per se participatio actus, est aliquis actus: sed materia per se est participatio primi actus, scilicet diuini esse, quod est actus purus; ergò materia est aliquis actus. Minor probatur: quia materia per se non est purum nihil,

sed ens creatum: sed omne creatum per se est participatio diuini esse, habet enim suam bonitatem, non à se, sed per participationem diuinæ bonitatis; ergò materia est participatio diuini esse, seù actus puri; ergò est aliquis actus saltem entitatiuus.

II. Prob. Quia quod per se est actu receptiuum, habet per se aliquam actualitatem: sed materia est per se actu receptiua formæ; ergò per se habet aliquam actualitatem. Maior patet: quia vt vas sit per se actu receptiuum aquæ, debet per se habere actualitatem vasis; vt lignũ sit per se receptiuum caloris, debet per se habere actuale esse ligni; & sicut esset incongruum dicere, quod vas fieret actu vas per aquam, aut lignum actu lignum per calorem, ità est alienum à veritate, dicere, quod materia fiat actu subiectum receptiuum per formam.

Ex his manifestè deducitur etiam, quòd materia per se habeat propriam existentiam, quia per se existere est habere per se entitatem positam à causâ in rerum naturâ: sed independenter à formâ hoc habet materia, cum neque sit in causâ, neque sit purum nihil; ergò independenter à formâ seù per se existit. Confirmatur; quia materia per se præsciudendo à formâ est entitas creata;

ergò

ergò præscindendo à formâ est entitas existens. Consequentia probatur: quia creatio terminatur ad actualem entitatem, extrahit enim rem de statu possibili ad statum existentiæ; ergò si per se materia est creata, est per se actualis entitas, seù existens. Hinc intelligitur, quid significauerit Commentator 3. de Cælo Comment. 29. dicens, *omnem potentialitatem passiuam fundari in aliqua actualitate*, scilicet intellexit fundari in actualitate entitatiua & existentiali ipsiusmet potentiæ passiuæ. Nec ab hac doctrinâ videtur recedere S. Thomas 1. Physic. lect. 60. assignans enim differentiam inter priuationem & materiam, dicit, quòd *priuatio est non ens per se, materia verò est non ens secundùm accidens, sicuti æs infiguratum*; ex quibus verbis deducitur, quod sicuti æs per hoc, quod sit in potentiâ ad figuram, & habet per se non esse figuratum, tamen est per se actuale ens & existens, ità materia, licet sit in potentiâ ad omnem formam physicam, & sic habeat non esse formam, tamen habet suæ entitatis actualitatem.

1. Ob. Materia prima est pura potentia; ergò nullum habet actum. Consequentia probatur: quia si purus actus, qualis est Deus, haberet aliquam potentialitatem, non esset purus; ergò etiam

pura

pura potentia habens aliquam actualitatem non esset pura. Confirmatur: quia si materia per se esset ens actu, non fieret ex ipsâ & formâ vnum per se, nam ex duobus entibus in actu non fit vnum per se.

Resp. Distinguo antecedens; est pura potentia in genere physico, concedo; in omni genere etiam metaphysico, nego antecedens; ad probationem nego paritatem. Primò quia Deus ideò nullam potest includere potentialitatem, quia est actus purus simpliciter, & in omni genere; at materia est potentia pura, solùm in genere physico, & in hoc genere nullum includit actum scilicet physicum, non autem est potentia in genere metaphysico & entitatiuo. Secundò quia esse actum est perfectio, & non repugnat quòd detur perfectio ità pura, vt omnem imperfectionem excludat, ideóque non repugnat, quòd detur purus actus in omni genere. At esse potentiam est imperfectio, repugnat autem quod detur entitas realis cum tantâ imperfectione, vt nullam includat per se perfectionem; si enim nullam includeret perfectionem, nullum esset bonum, & sic non ens; bonum enim & ens idem sunt; pura ergò potentia, in omni genere, esset non ens, seù simpliciter nihil; quarè cum materia

per

per se sit ens, & quid bonum, nequit esse absolutè pura potentia, sed tantùm potentia in aliquo genere, videlicet physico. Ad Confirmationem dico ex duobus entibus in actu completis, e. g. ex duobus lapidibus, ex duobus leonibus, non posse fieri vnum per se, quia ista per se non ordinantur vt perfectiuum & perfectibile: at ex duobus incompletis, quorum vnum se habeat vt perfectibile, aliud vt perfectiuum, fieri potest vnum per se: materia autem est ens in actu incompleta, cum sit per se complebilis per actum physicum seù formam substantialem, non autem ens in actu completo. In hoc eodem sensu intelligitur, quòd materia sit potentia ad omnem substantiam completam, non autem ad substantiam incompletam, sicuti quòd sit non ens, idest in potentiâ ad ens completum, quod solet dici absolutè ens, non autem ad ens incompletum. Hîc vnum est aduertendum, quod aliud est esse puram potentiam, aliud est esse in purâ potentiâ; nam esse in purâ potentiâ dicit absolutè nihil esse actu, & posse esse; at esse puram potentiam, significat esse actu aliquam entitatem, quæ possit recipere actum eius generis, in quo est potentia.

II. Ob. Existentia est extrà omnes causas sistentia; sed materia non est e-

xtrà omnes causas, nisi per formam; ergò non habet existentiam nisi per formã.

Resp. Distinguo maiorem: existentia completa est extrà omnes causas sistentia, concedo; existentia incompleta, nego: sicuti ergò res completè existit per existentiam extrà omnes causas, ità si per se sistatur extrà aliquas, existit incompletè; & quia materia per se, præscindendo à formâ, sistitur extrà suam causam efficientem, propterea eius existentia incompleta dicitur. Nec obstat, quòd aduersarius dicat, existentiam esse vltimam actualitatem, nam est vltima in genere metaphysico & entitatiuo, non autem in genere physico; vel si instet esse vltimam in quouis genere, dicatur, hoc verum esse de existentiâ completâ, non autem de incompletâ.

Instabis. Materia non potest existere sinè formâ; ergò existit per existẽtiã formæ.

Resp. Transeat antecedens, & nego cõsequẽtiã; nã etiam dato & non cõcesso, quòd materia existere non posset sine formâ, non indè rectè concluderetur, quòd existeret per existentiam formæ; nam etiam corpus existere nequit sinè loco, & tamen non existit per existentiam loci, quia aliud est existere necessariò cum alio, aliud est existere vi illius. Primum dicit solam connexionem duorum, quam

vtique

vtique naturaliter habent ad inuicem materia & forma; ex qua tamen connexione non bene infertur, quòd vna existat per existentiam alterius. Secundum dicit, quòd vnum existat per existentiam alterius, & hoc non competit materiæ: cum enim materia sit prior formâ (præsupponitur enim ad eius productionem) nequit existere vi formæ.

Quæres. Vtrùm materia sit ingenerabilis & incorruptibilis?

Resp. Ex dictis clarè patere, esse ingenerabilem & incorruptibilem naturaliter, quia naturaliter generari est rem fieri ex præsupposito subiecto: sed materia, cum sit primum subiectum, non potest fieri ex præsupposito subiecto, alioquin esset primum & non primum subiectum; ergò nequit generari. Similiter corrumpi est desinere esse remanente subiecto: sed materia nequit desinere esse remanente subiecto, quia, cum sit vltimum subiectum, esset simul non vltimum; ergò nequit naturaliter corrumpi. Dixi *naturaliter*, nam Deus per suam potentiam posset destruere materiam non corrumpendo, sed annihilando, sicuti potest Angelos, & alias creaturas naturaliter incorruptibiles annihilare. Hæc omnia expressè docet Aristoteles 1. Physic. cap. 5. tex. 84.

QVÆSTIO II.

Vtrùm materia possit existere sine omni forma.

VLtima instantia, superiori quæstione proposita, poscere videtur, vt hîc breuiter examinemus, an possit existere materia omni prorsus formâ spoliata.

Suppono, quod apud omnes Peripateticos indubitatum est, videlicet naturaliter non posse materiam omni prorsus formâ substantiali spoliari, sed necessariò ad expulsionem vnius aliam introduci. Hoc tùm experientia, tùm ratio suadet. Experientia quidem; nam videmus quod corrumpitur semen, & transit in plantam; corrumpitur planta, & transit in ingnem &c. vnde sicut ex nihilo nihil fieri, ita in nihilum nihil reuerti videmus. Ratio vlterior est, quia nullum agens intendens ad malum operatur; sed corruptio, cum sit ad non esse, est malum; ergò nullum agens operatur intendens præcisè corruptionem; ergò intendit positionem alicuius esse, seu nouæ formæ in materiâ, ex qua positione sequitur desitio, seù non esse prioris; quarè verificatur illud commune proloquium, *generatio vnius, est corruptio alterius, sicu corruptio vnius est generatio alterius.* His positis

Dico

Dico. Materia potest supernaturaliter spoliata omni formâ substantiali existere.

Prob. Quia possibile est, quod nullam inuoluit contradictionem: sed materiam existere spoliatam omni formâ substantiali, nullam inuoluit contradictionem, cum hæc non sit assignabilis, vt patebit in solutione obiectionum; ergò est possibile.

I. Ob. Impossibile est existere à parte rei aliquod indiuiduum, quod sit in nullâ specie entis determinati: sed hoc esset materia omni formâ substantiali spoliata, species enim desumitur à formâ; ergò est impossibile existere omni formâ substantiali spoliatam.

Resp. Nego minorem; nam materia esset in specie metaphysicâ entis determinati, quia esset substantia incompleta. Dùm dicitur quòd species desumitur à formâ, verum est de specie physicâ v. g. ignis, leonis, hominis &c. non verè de specie metaphysicâ.

II. Ob. Nequit materia esse sine omni formâ accidentali; ergò multo minùs sine omni substantiali. Antecedens patet; quia nequit esse sine omni duratione, sine omni vbicatione &c. Consequentia probatur; quia materia magis ordinatur ad formam substantialem, quia est eius finis, facitque cum ipsâ maiorem vnita-

tem, magisque ab ipsâ pendet, quàm à formâ accidentali.

Resp. Transeat antecedens, & nego consequentiã, eiusque probationem; nam materia non ordinatur ad formã substantialem, vt ad suum finem; sed tàm ipsa, quàm forma ordinatur ad totum, quod est finis vtriusque. Nec etiam facit vnitatem cum formâ, siue substantiali, siuè accidentali, semper enim realiter & physicè à formis distinguitur, solùmque cum ipsis vnitur. Nec denique pendet ab vllâ formâ, cum nec fiat, nec conseruetur vi formæ.

QVÆSTIO III.

Vtrùm materia prima omnes formas simpliciter appetat.

APpetitus est ordinatio rei in bonum. Alius est elicitus, alius innatus. Elicitus est, per quem cognoscens bonum ordinat se ad ipsum: si cognitio sit tantùm sensitiua, appetitus animalis seù sensitiuus dicitur, qualis est in cane, equo &c. si sit intellectiua, appetitus rationalis vocatur, qualis est in homine. Innatus est ordinatio à naturâ indita in bonum ab appetente non cognitum: e. g. lapis appetitu innato appetit centrum. Certum est appetitum elicitum non competere materiæ, cum non sit cognosciti-

ua.

ua. Appetitum quoque innatum negauit ipsi Auicenna, quia putauit ad hunc appetitum esse necessariam aliquam formam identificatam cum ipso appetente.

Dico. Materia prima appetitu innato appetit omnes formas simpliciter.

Probatur. Quia appetitus innatus est naturalis ordinatio rei in bonum ab appetente non cognitum: sed materia habet huiusmodi ordinationem ad formas simpliciter; ergò &c. Minor probatur; quia formæ simpliciter, idest omnes, siuè existentes, siuè possibiles, siuè æqualis, siuè inæqualis perfectionis, sunt bonum materiæ, sunt enim id, cum quo materia ità totum constituit, vt non minus cum vnâ, quàm cum aliâ, cuiusuis sit perfectionis, constituat; ergò ad omnes simpliciter habet appetitum innatum.

Ex his intelligitur, appetitum materiæ ad formas esse ipsam potentiam seù proportionem, quam habet ad ipsas; et quia est omnibus formis æquè proportionata; cum per se sit subiectum vniuscuiusque, ideò et ad quas habet, et ad quas non habet, appetitum retinet, quia dùm vnam habet, non desinit propterea esse ipsi proportionata.

I. Ob. Materia nequit simul habere formam quam habet & quam non habet, perfectiorem & imperfectiorem; ergò

nequit simul appetere omnes simpliciter.

Resp. Concesso antecedenti nego consequentiam: quia licèt materia non appetat simultatem formarum, tamen simul cum appetitu vnius, habet appetitum alterius, imò appetitus vnius est appetitus omnium, quia talis appetitus est ipsa entitas & potentia materiæ, quæ eadem est respectu omnium formarum. Aliud est ergò simul appetere omnes, aliud appetere omnes simul. Primum dicit, vnam & eandem entitatem esse omnibus proportionatam, & hoc verificatur de materiâ: secundum dicit simultatem ipsarum formarum, quæ vtique repugnat.

II. Ob. Materia appetit formam vt bonum suum; ergò magis appetit meliores vt maius bonum. Confirmatur; quia esuriens magis appetit meliorem, quàm deteriorem cibum; ergò & materia, quæ esurit formas, magis appetet meliores; ergò non appetit omnes simpliciter.

Resp. Concesso antecedenti nego consequentiâ: ad confirmationem distinguo antecedens; magis appetit meliorem, quàm deteriorem cibum, appetitu delectationis, concedo; appetitu satietatis, nego: si enim esuriens velit solum satiari, & non delectari, quia omnes cibi æqualiter

liter satiant, omnes æqualiter appetit, in quo materia esurienti similis est, appetit enim materia solùm satiari, idest actuari substantialiter, vt constituatur totum substantiale; & quia tàm substantialiter actuatur, & totum substantiale constituit, per meliorem ac deteriorem formam, propterea omnes æqualiter appetit.

III. Ob. Materia non potest appetere formas corruptas; ergò non appetit omnes simpliciter. Antecedens probatur; quia materia nequit appetere impossibile: sed formæ corruptæ sunt naturaliter impossibiles, cum nulla sit virtus in naturâ valens eas reproducere; ergò nequit materia appetere formas corruptas.

Resp. Nego antecedens, & distinguo maiorem probationis; materia nequit appetere impossibile simpliciter, concedo; impossibile secundùm quid, nego. Potest aliquid dupliciter esse impossibile, primò ab intrinseco, scilicet quia conceptus ipsius inuoluit contradictoria, vt homo lapis, & tunc dicitur impossibile simpliciter, ad quod implicat aliquam dari potentiam, siuè actiuam, siuè passiuam. Secundò ab extrinseco; scilicet non quia ipsius conceptus inuoluat contradictoria, sed quia naturaliter nequit dari, vel causa, vel conditio, aut quid si-

 mile

mile ad eius productionem necessarium; & tunc non dicitur simpliciter & absolutè impossibile, sed solùm secūdùm quid. Primum dicunt alij impossibile quoad substātiam, secundum quoad modū ad impossibile. In hoc secundo sensu nō repugnat dari potentiam, quia cum intrinsecè spectatum sit absolutè possibile & non repugnans, nullum est inconueniens, quòd ab aliquâ potentiâ respiciatur. Sic si Deus destrueret omne visibile, & conseruaret oculum, adhuc oculus esset naturaliter potentia visiua, licèt visibile non esset naturaliter producibile; & de facto materia est naturalis potentia ad formam rationalem, licet naturaliter non sit possibilis anima rationalis, sed solùm supernaturaliter. In hoc ergò sensu formæ corruptæ sunt appetibiles à materia, quia est proportionata ipsis, tàm post quàm antè corruptionē; nam si reproducantur habet eandē capacitatem ad ipsas recipiēdas, ac habebat antequàm corrūperetur.

DISPVTATIO III.

De forma substantiali.

NOmine formæ substantialis intelligimus substantiam quandam partialem, quæ per vnionem cum materiâ com-

componat ſubſtantiam integram, & totalem, & per ſe vnam; quarè Ariſtoteles ipſam dicit, eſſe rationem ſubſtantiæ, ideſt id, propter quod res hæc aut illa eſt certa & determinata ſubſtantia, e. g. homo, leo, lignum &c.

QVÆSTIO I.

Vtrùm detur forma ſubſtantialis.

DIco. Datur in omnibus rebus naturalibus ſeù corporeis forma ſubſtantialis.

I. Prob. Datur in homine forma ſubſtantialis; ergò & in cæteris naturalibus ſeù corporeis datur forma ſubſtantialis. Antecedens eſt certum; quia datur in homine anima rationalis, quæ per vnionem cum materiâ componit integram & totalem ſubſtantiam hominis per ſe vnam. Conſequentia probatur; quia cæteræ res naturales ſunt eiuſdē ordinis generationis & corruptionis, ac homo; ergo ſi datur in homine, etiam in illis datur forma ſubſtantialis. Conſequentia probatur; quia ideò ex hominis generatione & corruptione colligimus dari in ipſo formam ſubſtantialem, quia in generatione hominis fit mutatio materiæ à non eſſe talis ſubſtantiæ ad eſſe talis ſubſtantiæ, & in corruptione fit mutatio ab eſſe talis ſubſtantiæ ad non

esse talis substantiæ: sed in generatione & corruptione cæterorum naturalium fit hoc idem; ergò etiam in ipsis datur forma substantialis. Minor inductione patet; nam in generatione leonis, canis, ignis, ferri &c. ex non leone, non cane, non igne, non ferro, fit leo, canis, ignis, ferrum, & è contra in corruptione. Confirmatur; quia nullum est assignabile signum & fundamentum, ex quo affirmetur in homine forma substantialis, quin hoc idem reperiatur etiam in cæteris naturalibus; ergò si est in homine forma substantialis, est etiam in cæteris naturalibus.

II. Prob. Quia in omnibus naturalibus, præter materiam communem, datur id, per quod singula sunt tales substantiæ in tali specie: e. g. in terrâ, ligno, igne &c. præter materiam communem datur id, per quod terra est talis substantia diuersa essentialiter à ligno, & lignũ est talis substantia diuersa essentialiter à terrâ, & igne: sed nomine formæ substantialis nihil aliud intelligitur, nisi ratio illa per quam singulæ res naturales sunt tales substantiæ in tali specie, diuersæ substantialiter ab alijs; ergò datur in omnibus naturalibus forma substantialis. Confirmatur; quia, vt superius vidimus, materia est eiusdem rationis in omnibus

natu-

naturalibus; ergò in ipsâ solâ non potest consistere eorum essentia, alioquin omnia essent eiusdem essentiæ, & solùm acciden taliter differrent: ergò debet in rebus naturalibus aliquid admitti, quod substantialiter perficiendo materiam, perficiat & integret ipsarum essentiam: hoc aliquid intelligimus nomine formæ substantialis; ergò.

I. Ob. Possunt omnes differentiæ substantiales saluari per solam dispositionem atomorum, vt ait Democritus relatus *Disp. 1. de principis quæst. vnic. versu ex Philosophis*; ergò non sunt admittendæ formæ substantiales.

Resp. Hæc obiectio petit specialem difficultatem, quam oportet quæstione sequenti examinare.

QVÆSTIO II.

Vtrùm substantialis rerum naturalium constitutio rectè explicetur per solam dispositionem atomorum.

DEmocritus & Epicurus, quorum opinionem hoc nostro sæculo cum eruditissimo Gassendo sequuntur multi, atomos & vacuum esse naturalium omnium constitutiua principia putarunt. Atomi sunt minutissimæ quædam particulæ materiæ, indiuisibiles seù insectiles, quæ singulæ, licèt sensibus percipi nequeant,

ant, habent tamen proprias figuras. Sunt autem indiuisibiles, quia solidæ sunt, continuæ & non porosæ, ad hoc enim, vt res diuidi possit, debet inter eius partes aliquod spatium vacuum intercipi. Hæ sunt rerum naturalium materies, quæ vt in certâ substantiæ specie v. g. leonis, ferri, constituatur, non requiritur alia substantia seu forma substantialis, sed satis est modificatio atomorum, nempè varia configuratio, quæ certis motuum legibus afficiat composita. Tria igitur docet hæc sententia. Primum est, materiam conflari ex minutissimis particulis physicis indiuisibilibus, & hoc nobis non displicet. Secundum est, inter partes materiæ dari spatiola vacua. Tertium est, substantialem differentiam, inter vnā rem & aliam, haberi per variam illarum partium configurationem, & non per formam. Hoc vltimum hîc examinandum suscipimus, acturi de vacuo quæstione sequenti.

Dico. Nequit rectè explicari substantialis rerum constitutio & differentia, per solam dispositionem atomorum.

I. Prob. Quia si diuersitas figuræ, situs, ordinis, magnitudinis, & motus, sufficeret ad constituendam substantiam in determinatâ specie diuersâ substantialiter ab alijs, quotiescumque in aliquo corpore

pore poneretur diuerſitas illa, corpus illud indueret nouam ſpecie ſubſtantiam: ſed hoc non ſequitur; ergo diuerſitas figuræ, ſitus, ordinis, magnitudinis, & motus, non ſufficit ad conſtituendam in determinatâ ſpecie ſubſtantiâ. Maior eſt indubitata; nam idem vt idem ſemper facit idem. Minor experientiâ probatur; nam ſi eiuſdem ligni partes in diuerſam figuram, e. g. ex quadrata in rotundam, triangularem &c. formentur, ſi mutent ſitum & ordinem, ità vt quæ erant antè, ponantur retrò; quæ erant priores, fiant poſteriores, & è contra; quæ ſurſùm, ponantur deorſùm; ſi aliquæ minoris fiant magnitudinis, & quouis motu moueantur, ſemper remanet lignũ eiuſdem ſubſtantiæ ac erat prius; idemque ſequitur in cerâ, aquâ, & alijs omnibus corporibus præſertim homogeneis, quorum partes diuisæ, & in aliam quamuis figuram, ſitum, ordinem, magnitudinem, & motum tranſeuntes, adhuc eiuſdem, cuius erant prius, ſubſtantiæ remanent; ergò præfata diuerſitas non ſufficit ad explicandam ſubſtantialem in determinatâ ſpecie conſtitutionem & differentiam.

II. Prob. Quia nequit eſſe vera ſententia, cuius principia per ſe ad falſitatem ducunt: ſed principia ſententiæ explicantis

tis substantialem constitutionem & differentiam per configurationem atomorum, ducunt per se ad falsitatem; ergò nequit esse vera. Maior est certa; nam veritas veritati non aduersatur, sed cum ipsa cohæret. Minor probatur; quia est manifesta falsitas; quòd substantialis constitutio & differentia hominis à cæteris naturalibus sit configuratio atomorum: sed præfatæ sententiæ principia ducunt ad dicendum, quòd substantialis constitutio & differentia hominis à cæteris naturalibus sit prædicta configuratio; ergò ducunt per se ad falsitatem. De maiori nemo dubitat, qui se animam rationalem habere cognoscat. Minor probatur; quia principia præfatæ sententiæ docent, quòd ideò perfectior est in plantâ modus essendi & operandi, quàm in lapide; perfectior in verme, quàm in planta; & perfectior in cane, quàm in verme; quia perfectior in vno, quàm in alio est atomorum configuratio, quæ sicuti vnumquodque in specie perfectiori constituit, ità nobiliorem tribuit operandi modum, facitque vnum substantialiter ab alio differre; ergò dicendum similiter est, quòd ideò nobilior est modus essendi & operandi in homine quàm in cane, quia in illo perfectior est atomorum configuratio, per quam homo in tali specie constituitur

ſuitur,& à cæteris naturalibus ſubſtantialiter differt. Conſequentia probatur; quia ſi perfectior configuratio atomorum facit, quòd canis potiùs, quàm vermis, cognoſcat & ſectetur dominum, aliaſque operationes longè nobiliores, quàm vermis efficiat,& per illam ſit in tali modo ſubſtantiali eſſendi diuerſo ſubſtantialiter à cæteris; cur in homine non dicetetur nobiliorem ipſius eſſendi & operandi modum in nobiliori configuratione atomorum conſiſtere? Sed hæc omnia ſunt manifeſta falſitas; ergò principia ſententiæ Atomiſtarum ducunt per ſe ad manifeſtam falſitatem.

Dices Catholicam fidem docere, in homine eſſe animam rationalem, quæ dat eſſe homini, ideóque dici non poſſe, quod ſit configuratio atomorum.

Reſp. Ergò præſcindendo à fide, & ſtando in puris naturalibus, ſententia Atomiſtarum ducit, ad dicendum non eſſe in homine formam ſubſtantialem rationalem, quod eſt manifeſta falſitas.

I. Ob. Ars imitatur naturam: ſed ars facit diuerſa opera per diuerſam configurationem paruorum & magnorum corporum; ergò & natura facit diuerſa compoſita, per diuerſam configurationem atomorum. Confirmatur; quia ſi dentur formæ ſubſtantiales à Peripateti-

cis

cis assignatæ, fient ex nihilo, sed ex nihilo nihil fit; ergò nō dantur tales formæ.

Resp. Concessa maiore distinguo minorē. Ars facit diuersa opera, diuersitate accidentali, concedo; diuersitate substantiali, nego. Ex eo quod ars imitetur naturam, sequitur non attingere perfectionem ipsius naturæ, sed eius opera esse inferiora operibus naturæ, per hoc enim, quod variè disponat parua & magna corpora format res tantùm secūdùm accidens, & inter se accidentaliter, non non verò substantialiter diuersas, vt patet in scamno, mensâ, & cathedrâ, quæ cum differant solâ dispositione corporum, & configuratione, non differunt substantialiter, sed accidentaliter: at opera naturæ differunt in esse substantialiter, vt patet in leone, & plantâ, ideôque non potest eorum esse constitui ex solâ configuratione atomorum, sed requiritur substantia aliqua seù forma, per quam in esse substantiali constituantur, & differant substantialiter ad inuicem. Ad confirmationem respondetur, quòd sicuti Atomistæ dicunt configurationem atomorum non fieri ex nihilo, quia præcessit materies; scilicet atomi, in potentiâ quorum erat configuratio, ità dicimus, formam substantialem non fieri ex nihilo, quia præcessit materies, in cuius potentiâ

tentiâ erat forma, & de cuius potentiâ educitur, quandò fit. Illud autem ex nihilo &c. intelligitur, quod ex nihilo simpliciter, ideſt tàm rei quàm subiecti, nihil fit; at ex nihilo sui, sed non subiecti, fieri poteſt & naturaliter aliquid.

II. Ob. Res conſtituitur ex ijs, in quæ reſoluitur: sed reſoluitur omne compoſitum naturale in atomos; ergò conſtituitur ex atomis. Confirmatur; quia fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora: sed conſtitutio rerum naturalium, fieri poteſt per ſolam configurationem atomorum ſinè formâ ſubſtantiali; ergò fruſtra fit per formam ſubſtantialem.

Reſp. Diſtinguo maiorem: conſtituitur ex ijs in quæ reſoluitur, & ex aliquo alio, concedo; ex ijs tantum, in quæ reſoluitur, nego: nam etiam in ſententia Atomiſtarum conſtituitur res naturalis ex atomis & configuratione, & tamen non reſoluitur in configurationem, ſed in ſolas atomos. Ad confirmationem, nego minorem; oſtenſum enim eſt, ſolam configurationem atomorum eſſe inſufficientem ad tribuendam ſubſtantialem diuerſitatem, quæ reperitur in rebus naturalibus, ideôque non fruſtra multiplicatur forma ſubſtantialis.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrùm detur, vel dari possit, naturaliter vacuum.

QVoniam in Democriti sententiâ, præter atomos & ipsorum configurationem, ad constituenda corpora naturalia requiritur vacuum, hîc de ipso agendum censeo.

Vacuum duplicis generis asseritur, aliud coaceruatum, & aliud dispersum, seù disseminatum. Coaceruatum dicitur locus omni prorsus corpore carens; e. g. si hoc in cubicolo nec aer, nec vllum aliud corpus esset, quod inter hos parietes, pauimentum, & fornicem, interciperetur, esset hoc cubiculum vacuum coaceruatum. Dispersum seù disseminatum nihil aliud est, nisi quædam spatiola omni prorsus corpore carentia, quæ inter vnam, & aliam cuiusuis corporis partem, seù inter atomos corpus constituentes, reperiuntur; hæc vacua spatiola admittenda sunt præsertim ex duplici capite; primo vt corpus sit diuisibile, secundò vt explicetur rarefactio, condensatio, & motus. De vtroque vacuo duplici conclusione statuemus, ac primo de disperso.

I. Dico Non est verisimile dari vacuum dispersum.

I. Prob.

I. Prob. Quia non est verisimile dari id, quod destruit continuitatem inter corporum partes: sed tale vacuum destrueret omninò talem continuitatem; ergò non est verisimile dari. Minor probatur; quia si datur vacuum disseminatum, vt corpus diuidi possit, ibi solùm poterit diuidi, vbi erit tale vacuum: sed corpus diuidi potest in omnes sui partes, ità vt vna pars secundùm se totam separari possit ab aliâ; ergò inter vnam partem secundùm se totam, & aliam, & sic inter singulas dabitur vacuum: sed partes secundùm id, in quo est vacuum, non se tangunt; ergò vna pars, secundùm nihil sui tanget aliam, alioquin in eo, in quo tangeret, non interciperetur vacuum, & sic ibi non posset esse diuisibilitas; ergò nulla pars continuatur cum alterâ; ergò vacuum disseminatum destruit continuitatem inter corporis partes. Confirmatur; quia nulla est necessitas admittendi tale vacuum, vt patebit in solutione obiectionum; ergò non est admittendum.

De vacuo coaceruato, licèt multi Atomistarum sentiant non dari, tamen esse naturaliter possibile affirmant.

II. Dico Non potest dari naturaliter vacuum.

I. Probatur. Quia natura summè abhorret à vacuo; ergò nequit dari naturaliter

ter vacuum. Antecedens probatur ratione, & experimento. Ratione quidem, quia natura summè poscit contiguitatem corporum inter se, vt accipiant & trasmittant influentias vnum in aliud; sed per vacuum tollitur ista contiguitas: ergò natura summè abhorret à vacuo, si enim admitteretur vacuum circà aliquod corpus, influxus cælestes, qui ad eius conseruationem necessarij sunt, cùm non possint propagari sinè medio, qualitates enim esse nequeunt sinè subiecto, hærerent in vltimâ illâ superficie aliorum corporum, & ad illud, circà quod esset vacuum, non peruenirent. Experimento verò probatur primò contrà naturalem grauitatis exigentiam grauia non descendunt, imò & ascendunt, quandò non admittitur aliud corpus, quod subintrans in locum ipsorum, impediat vacuum; sic ex fistula vtrinque perforata non descendit aqua, si superius foramen sit clausum, quia nequit subintrare aer ad impediendum vacuum: si verò aperiatur superius foramen, & præbeatur aeri aditus, statim aqua descendit: hoc idem euenit in cado vel dolio pleno aqua vel vino, ex quibus non exit, nisi in parte superiori aperiatur foramen, per quod aeri ad impediendum vacuum pateat ingressus. Similiter scyphus immissus aquæ

situ inuerso extrahitur plenus, vsque ad superficiem aquæ, nec illa descendit, nisi quandò potest aer in eius locum subintrare. In cucurbitulis pariter, quæ applicantur infirmis, quo magis euanescit calor, per quem aer intus existens fuerat rarefactus, & se ad debitam densitatem reducit, eo magis attollitur caro & sanguis, ad impediendum ne spatium relictum ab aere fiat vacuum. Rursus si ex aliquâ fistulâ extrahatur aer (vt patet in illis, quibus vtimur ad extrahendam è puteis aquam) ascendit aqua; ergò euidenter constat naturam summè abhorrere à vacuo; ergò nequit dari naturaliter vacuum.

Hîc notandum est, naturam impedire vacuum illis medijs, quæ minus violenta sunt, si ad impediendum apta fuerint, aliquandò enim grauia ascendunt, aliquandò non descendunt, aliquandò densiora rarefiunt; vel si alio pacto impediri nequeat vacuum, corpora disrumpuntur, vt patet in follibus, quorum latera perfringuntur potius, quàm diducantur; quia nequit aer intus existens tantum rarefieri, quantum satis esset, ad impediendum vacuum.

I. Ob. contra primam cōclusionē cum Gassendo. Videmus quod si injciatur sal communis in aquam vase conclusam,

dissol-

dissoluitur sal vsque ad certam quantitatem, & non ampliùs. Similiter saccharum, alumen, & vitriolum, alijque sales, si in ipsam inijciantur ad certam pariter quantitatem, & non maiorem soluuntur: sed hoc nequit explicari, nisi dicendo, esse in aqua illa plurima spatiola vacua, & hæc diuersæ figuræ, scilicet quadratæ, aut cubicæ &c. quarum alia recipiunt intrà se particulas salis marini quadratas vel cubicas, alia recipiunt particulas sacchari, alia vitrioli, & aluminis, & quod aqua non plus dissoluit illorum salium, quàm spatiola illa possint capere; ergò datur in aqua vacuum disseminatum.

Resp. Quòd si talis experientia fiat in tubo vitreo, in quo facile veritas deprehendi potest, manifestè videtur aqua illa, per iniectionem salium, intumescere, quod sane non fieret, si particulæ salium exciperentur in spatiolis vacuis, atque adeò nihil probat.

II. Ob. Non potest explicari quomodo idem corpus e. g. aer, modò condensetur, modò rarefiat, nisi habeat spatiola vacua, quæ modò ampliari, & modò coarctari possint.

Resp. Ex Aristotel. 4. Physic. cap. 6. tex. 80. quod sicut quandò arcus intenditur fit magis curuus accipiendo maiorem

rem curuitatem, non verò quia ipsi addatur aliud corpus curuum; ità cum corpus per rarefactionem fit maius, per condensationem fit minus, non accipit nouum aliud corpus, nec amittit; sed mutat paruitatem in magnitudinem, vel è contra magnitudinem in paruitatem, scilicet maiorem vel minorem acquirendo vbicationem, vt dicemus agentes de continuo, ideóque non est necesse vacuum dissem inatum comminisci.

III. Ob. Contrà secundam concl. Si fistula vitrea in vnâ tantùm extremitate perforata impleatur hydrargyro, & deindè apposito digito ad foramen, extremitas illa immergatur in subiectum vas hydrargyro plenum, & perpendiculariter erigatur, subtracto digito hydrargyrum ex superiore fistulæ parte âliquantum descendit: sed in illam partem fistulæ nullum potuit subintrare corpus; non enim subintrauit ex foramine, cum obstet hydrargyrum, nec ex poris, cum vitrum non sit porosum; ergò datur naturaliter vacuum.

Resp. Manifestum esse, quod superior fistulæ pars non remanet vacua; si enim applicetur ipsi pannus calidus, hydrargyrum aliquantulum descendit, & si applicetur aqua frigida, rursùs ascendit, quod nequit fieri nisi sit intùs aliquod

corpus, quod rarefiat & densetur. Rursùs hydrargyrum non descendere ex totâ fistulâ, contra propriam & naturalem inclinationem, signum est naturam potiùs retinêre in sublimi corpus graue, quàm permittere vt detur vacuum, sicuti daretur, si totum descenderet; ergò naturaliter est impossibile vacuum. Si quis scire cupiat, quodnam sit illud corpus, quod superiorem fistulæ partem tunc replet, dicam esse particulas quasdam subtilissimas ipsius hydrargyri, quæ ità rarefiunt, vt superiorem illam fistulæ partem impleant, & hoc indè constat, quia si perforetur fistula in superiori parte, ità vt aliquid aeris ingrediatur, particulæ illæ subtilissimæ se reducunt ad debitam densitatem, & deorsùm guttatim fluere conspiciuntur.

IV. Ob. Datur motus localis: sed hic nequit fieri in pleno, alioquin duo in eodem loco simul essent corpora; ergò datur vacuum.

Resp. Quòd sicut pisces mouentur in loco pleno aquâ, & tamen non sunt duo corpora in eodem loco simul, ità cætera mouentur in pleno aere; nam dum corpus in aere mouetur, aer qui proximus protruditur, condensatur, qui verò retrò succedit, rarefit, & eodem momento occupat locum à mobili relictum, atquè

adeò nec vacuum nec penetratio corporum datur.

I. Quæres. An diuinâ virtute poſſit fieri vacuum?

Reſp. Diuinæ virtuti poſſibile eſt, quod poſitum, nullam inuolueret contradictionem: ſed poſitum vacuum nullam inuolueret contradictionem; ergò eſt poſſibile fieri diuina virtute.

II. Quæres. Vtrùm in vacuo fieret motus grauium & leuium?

Reſp. Certum, eſt quòd ſi e. g. hoc cubiculum eſſet vacuum, & corpus poneretur contiguum fornici, vel pauimento, non poſſet indè remoueri, quia fieret rara diſiūctio corporis à corpore, & ſic locus plenus tali corpore fieret naturaliter vacuus, quod repugnare nuper oſtendimus. Si verò corpus graue vel leue poneretur in medio cubiculi, indè moueretur, vel ſurſum, vel deorſum. Ratio eſt, quia corpus tàm graue, quàm leue eſſent extrà proprium centrum, & eſſet in ipſis eadem grauitas, & leuitas; ergò tàm graue, quàm leue mouerentur.

Dices grauia & leuia mouentur motu ſucceſſiuo: ſed ſi mouerentur in vacuo, mouerentur motu inſtantaneo; ergò &c. Minor probatur; quia ſucceſſio in motu determinatur à corpore intermedio: ſed in vacuo nullum eſſet corpus interme-

dium; ergò non esset successio motus.

Resp. Nego minorē; ad probationem nego maiorē: nam licèt aliquid conferat ad velocitatem vel tarditatem motus corpus intermedium, tamen successio illius non habetur adæquatè à resistentiâ medij, sed à maiori vel minori grauitate: & hoc patet manifestissimè experientiâ, qua videmus, quòd in eodem medio diuersum habent motum, quoad velocitatem & tarditatem mobilia minùs grauia, & minùs leuia, sic in eodem aere citiùs mouetur pila ferrea, quam lignea; si autem tota successionis ratio proueniret à medio, cum sit idem, deberent æqualiter moueri.

Instabis. Saltem si corpus moueretur in vacuo, faceret naturaliter nouum vacuum.

Resp. Corpus in vacuo nulla contineretur superficie ambienti, & sic cum nullo esset loco extrinseco, dum moueretur, non faceret vacuum.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm forma substantialis sit tota quidditas compositi?

Forma alia est partis, alia totius. Forma partis dicitur, quæ est seù recipitur in parte totius; scilicet in materiâ e. g. anima est forma partis. Forma to-

tius

tius est illa, quæ non accipitur in parte seu in materia, sed est in toto: e. g. humanitas est forma totius hominis, quia non recipitur in materiâ, sed est in toto homine. Certum est quod forma hoc secundo modo accepta est tota quidditas, quia materiam simul & formam comprehendit: e. g. humanitas est tota quidditas hominis; quarè dubium remanet de formâ substantiali partis: e. g. an anima rationalis sit tota quidditas hominis.

Dico. Forma substantialis non est tota quidditas compositi.

Probatur. Quia quidditas rei, & eiusdem definitio conuertuntur; ergò id constituit totam rei quidditatem, quod constituit adæquatam rei definitionem; sed sola forma substantialis hoc non præstat; ergò non est tota quidditas rei, seu compositi. Minor probatur: quia sola forma, e. g. anima rationalis non est homo, sed pars hominis: sola forma equi non est equus, sed pars equi; ergò sola forma non constituit adæquatam rei definitionem, alioquin anima rationalis separata à corpore esset homo, & animal rationale, quod est falsum. Confirmatur: quia siuè quidditas accipiatur metaphysicè, siuè physicè, est species; sed species non habetur per solam differentiam,

cum requiratur etiam genus; ergò non habetur quidditas per solam formam. Minor est certa: quia species physica habetur per materiam & formam, quæ simul sumptæ sunt e. g. homo, equus. Species logica seù metaphysica pariter habetur per materiam & formam logicam seù metaphysicam, ideſt per genus & differentiam. Consequentia probatur: quia sola forma constituit differentiam, non verò genus, vt est manifestum; ergò sola forma non constituit totam quidditatem.

Ob. vnic. Constitutiuum adæquatum quidditatis & adæquatum distinctiuum eius à quouis alio sunt idem: sed sola forma est adæquatum distinctiuum compositi à quouis alio, e. g. hominis ab equo; ergò sola forma est adæquatum constitutiuum quidditatis. Cōfirmatur: quia si materia quoque constitueret partialiter quidditatem compositi, non esset idem e. g. homo senex ac erat puer, quia cum per nutritionem nouæ partes materiæ acquirantur, & aliæ ex præexistētibus deperdantur, non habebit eamdem materiam senex, quam habebat puer, est sic non erit idem.

Resp. Nego minorem; nam licèt per materiam homo non differat ab equo, tamen etiam per ipsam ab illo distinguitur,

cum materia hominis non sit materia equi, sicuti forma hominis non est forma equi; quandò autem dicuntur homo & equus in materiâ conuenire, significatur quòd sint similes in ipsâ, non autem quòd sint indistincti; quarè vitanda est æquiuocatio inter differre & distingui, nam differre est habere prædicata dissimilia, & hoc vtique tribuit sola forma; distingui verò est mutuò negari in recto vnum de alio, quod profectò stat cum perfectâ similitudine vnius ad aliud, vt patet in duabus animabus rationalibus, quæ, cum sint perfectè similes, tamen vna distinguitur ab aliâ. Ad confirmationẽ nego, quòd homo senex non habeat eamdem materiam, quam habebat puer, quia partes primigeniæ, & humidum nutrimentale semper remanent, licèt ipsis aliæ nouæ partes addantur; quarè homo senex habet partes primigenias, & alias, & ita est idem homo, qui per additionem nouarum partium, est solùm accidentaliter non verò substantialiter mutatus, quia & eamdem formam, & eamdem materiam retinet, quam per generationem accepit.

QVÆSTIO V.

Vtrùm formæ educantur de potentia materiæ.

DVplicis classis sunt formæ, aliæ scilicet spirituales, aliæ materiales. Spirituales sunt animæ rationales, quas nullus sanæ mentis Phylosophus creari à Deo independenter à materia dubitare potest; cum enim operari sequatur ad esse, & operari animæ rationalis, scilicet intelligere & velle sit independens à materiâ, etiam esse & fieri eiusdem animæ à materia non dependere, atque adeò creari à Deo manifestum est. Materiales sunt, quæ tàm in fieri quàm in esse pendent à materiâ ipsas sustentante, & de his est quæstio.

Dico. Formæ materiales educuntur de potentiâ materiæ.

Probatur. Quia educi de potentiâ materiæ est fieri dependenter ab ipsâ, non solùm vt recipiente, sed etiam vt sustentante, idest iuuante ad primum esse, & ad permanendum in esse: sed formæ materiales ita fiunt, ergò educuntur de potentiâ materiæ. Minor probatur: quia deficiente sustentatione materiæ, formæ materiales pereunt, ergò fiunt sustentante materiâ. Antecedens est certum; quia nequeunt tales formæ quidquam operari

siuè

sinè consortio materiæ: sed operari sequitur esse; ergò etiam naturaliter esse nequeunt sine materiâ; ergò pereunt deficiente sustentatione materiæ.

Ex his colligite apud Peripateticos educi de potentiâ materiæ non significare, quod formæ lateant in materiâ, & per actionem efficientis detegantur, & extrahantur, vt aliqui parùm cautè sensêre; neque quòd antè generationem formæ sint actu in materiâ, secundùm quasdam ipsarum inchoationes, vt quidam Albertum censuisse putarunt; sed esse siuè produci concurrente per se subiecto seù materia, quæ in fieri & ĩ esse ita influat, vt sicut esse non possunt naturaliter nisi materia ipsas sustentet in esse, ità fieri nequeant, nisi earum productio in eâdem materia sustentetur; quarè anima rationalis cum separata à materiâ naturaliter existère possit, sicuti ad esse non indiget sustentatione materiæ, ita nec indiget ad fieri, & propterea non educitur de potentiâ materiæ.

Colligite rursùs, non esse idem dicere, materia continet in potentiâ formas, & materia est in potentia ad formas; nam continere ipsas in potentia, est habere vim eas causandi, sustendando ipsarum fieri & esse: at materiam esse in potentia ad illas, significat solùm ipsam ha-

bere capacitatem eas recipiendi, qua ratione materia est quidem in potentiâ ad animam rationalem, sed ipsam non continet in potentiâ.

Ob. Aristoteles 7. Metaph. tex, 29. docet artificialia differre à naturalibus, quod in artificialibus solùm supponitur materia, ex qua artifex opera conficiat, in naturalibus verò præcedit in materiâ pars formæ generandæ; ergò latent in materiâ inchoationes formarum.

Resp. Legenti locum Aristotelis facilè patet, ibi non comparare artificialia cum naturalibus, sed assignare rationem cur ex artificialibus aliqua numquam fiant sinè arte, aliqua vero fiant, quandoque sinè arte; & dicit, quòd aliquandò materiæ artificiali est coniuncta virtus aliqua actiua, quæ dicitur pars virtualis formæ introducendæ, & ideò contingit, quòd producatur aliquandò forma sinè artifice extrinseco: e. g. quandoque producitur sine arte sanitas in animali, quia in ipso est calor naturalis, qui potest aliundè excitari sine artifice: aliquandò verò materiæ artificiali non est coniuncta virtus vlla actiua, & tunc numquam contingit fieri formam sine artifice extrinseco: e. g. quia in lapidibus nulla est virtus actiua, quæ sit principium operandi, seù faciendi domum,

pro-

propterea numquam contingit fieri domum sinè artifice: nihil ergò ibi tangit Aristoteles de formis naturalibus.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm inter materiam & formam detur vnio ab ipsis distincta.

QVoniam materia & forma ad hoc ordinantur, vt per vnionem mutuam constituant substantiale compositum, examinare hîc oportet an talis vnio sit quid medium distinctum à materiâ & à formâ.

Dico. Inter materiam & formam datur vnio, quæ est modus ab vtrâque distinctus.

Probatur. Quia nullo alio pacto saluari potest, quòd materia & forma facient vnum per vnionem distinctam; ergò datur vnio distincta. Antecedēs probatur: si quid esset per quod facerent vnum sinè vnione distinctâ, esset vel coexistentia vtriusque, vel intima pręsentia vnius in alterâ, vel dispositiones proximę pręparantes materiam; sed nihil ex istis sufficit sinè vnione distinctâ; ergò. Minor probatur quoad primum: quia coexistentia est duorum in eodem instanti existentia; sed in hoc instanti existit anima mea & corpus Pauli, & tamen anima mea non facit vnum cum corpore Pauli: existunt

materia & forma Petri mortui, & tamen non faciunt vnum; ergò non sufficit coexistentia. Quoad secundum: fieri potest vt anima Petri mortui sit intimè præsens, & penetretur cum meo corpore; non repugnat quod vnus lapis penetretur cum alio: sed in his & similibus casibus non facient nihilominùs vnum per se anima Petri cum meo corpore &c. licèt anima sit actus, & corpus potentia; ergò non sufficit intima præsentia vnius in alio. Quoad tertiū de dispositionibus: dari potest forma coexistens, & intimè præsens materiæ proximè dispositæ, & tamen non facere vnum per se cum materiâ; ergò nec dispositiones, cum coexistentiâ & intima præsentia tantùm, sufficiunt ad faciendum vnum per se. Antecedens probatur: quia si penetrentur simul duo corpora homogenea, e. g. duo lapides; forma lapidis A erit coexistens & intimè præsens materiæ proximæ dispositæ lapidis B; & tamen non faciet cum illâ vnum per se; cum enim materia prædicta sit actuata forma lapidis B, est per ipsam ens in actu completo, atque adeò quidquid ipsi aduenit, facit cum ea vnum per accidens; ergò sinè vnione distincta non sufficiunt dispositiones proximæ cum coexistentiâ & intima præsentia formæ in materia; ergò datur vnio distincta.

Dices

Dices, præter assignata requiri absentiam alterius formæ ab eâdem materia.

Sed contrà; quia in casu compenetrationis lapidis A cum lapide B, forma lapidis A facit vnum per se cum suâ materia licèt in eadem materiâ sit intima præsentia formæ lapidis B: in casu quo anima Petri mortui penetretur mecum, anima mea facit vnum cum meâ materia, licèt non absit à meâ materia forma Petri; ergò ad faciendum vnum per se non requiritur absentia prædicta, sed solum non facit vnum forma lapidis B. cum materia lapidis A, anima Petri cum materia mea, quia non est ipsi substantialiter vnita; ergò sine vnione distincta nihil sufficit ad faciendum vnum per se, atque adeò requiritur vnio distincta.

I. Ob. Materia & forma se ipsis essentialiter & immediatè sunt potentia & actus cum mutuo respectu; ergò se ipsis & immediatè vniuntur; ergò sinè vnione distincta. Confirmatur: quia ipse modus vnionis per Aduersarios non vnitur per aliam vnionem, sed per se ipsum; ergò & materia & forma vniuntur per se ipsas sine vnione distincta.

Resp. Retorqueo argumentum: materia & forma se ipsis essentialiter immediatè sunt potentia & actus, & tamen non vniuntur sinè dispositionibus materiam

riam reddentibus idoneam, & proximè aptam ad formam; ergò ex eo quod essentialiter & immediatè se ipsis sint potentia & actus, non excluditur aliquid ab ipsis distinctum per quod vniantur. Rursùs dispositiones non faciunt, quòd materia non vniatur per se & immediatè formæ, licèt sint à materiâ & formâ distinctæ; ergò neque vnio media distincta ab ijsdem impedit quo minùs materia per se & immediatè vniatur formæ. In forma; concedo totum enthymema, & nego vltimam consequentiam; quia vniri immediatè & per se dicuntur aliqua, licèt vniantur per quid medium ab ipsis distinctum, quandò illud medium est ratio vniens; sicuti oculus dicitur videre immediatè colorem, licèt videat mediante visione ab oculo & colore distinctâ, quia visio est ratio videndi; materia igitur & forma se ipsis & immediatè vniuntur, quia vnio est ipsa ratio vniens. Non vnirentur immediatè, quandò vnio non esset ratio vniens, vel si antequàm vnio ipsas connecteret, attingeret aliud tertium, sed quia terminatur immediatè ad vtramque, & est ratio vniens, rectè sequitur quòd, licèt sit distincta, non impediat quo minus immediatè & per se vniantur. Ad confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiã: vnio enim cum

eum sit entitas modalis non indiget alio vt sit in subiecto; at essentia formæ substantialis, imò & accidentalis, non est esse in subiecto, sed habere aptitudinem ad informandum subiectum, quæ aptitudo, vt determinetur ad actualem informationem, acquirit vnionem mediam inter formam & subiectum.

II. Ob. Admissâ vnione distinctâ, materia non exerceret potentialitatem respectu formæ, nec forma rationem actus respectu materiæ; ergò non est admittenda. Antecedens probatur: quia vtraque entitas actuaretur per illum modum vnionis; ergò &c.

Resp. Nego antecedens, & ipsius probationem; nam vnio non actuat, sed est ratio qua forma actuat & materia actuatur; sicuti visio respectu oculi non est illa quæ videt, sed est ratio qua oculus videt & obiectum videtur.

III. Ob. Si daretur vnio distincta, non posset assignari, an esset vna vel duplex. Non esset vna, quia vt vniret extrema, deberet in ipsis recipi; vniens autem modus nequit recipi in extremis realiter distinctis. Rursùs in homine, cuius forma spiritualis est, vnio non posset esse materialis, alioquin non posset vnire animam spiritualem, nec in ipsâ animâ recipi, vt deberet; nec posset esse spiritualis,

alio-

alioquin non posset vnire materiam cum animâ, nec posset recipi in ipsâ materia; ergò nequit esse vna. Nec etiam potest esse duplex, quia vel neutra esset vnio, cum vnio sit plurium nexus, vel vna ex illis esset superflua; ergò non datur vnio.

Resp. Vnionem esse vnam & non duplicem in composito; quia vt tangitur in obiectione, cum conceptus vnionis sit nexus plurium, eo ipso quod in composito intelligitur vnio inter materiam & formam, intelliguntur hæc duo connexa. Ad illud quod dicitur, vt vniret extrema, deberet in ipsis recipi, respondendum est, sufficere quod in alterutro ipsorum recipiatur, scilicet vel in materiâ vel in forma, non autem requiri quòd recipiatur in vtroque, quia vnio reduplicatiuè sumpta non respicit extrema, quæ vnit sub ratione subiecti, sed sub ratione extremorum; ideòque satis est, vt extremum vnum tanquàm terminum attingat, in alio verò recipiatur. Quod subiungitur in homine vnionem nec spiritualem nec materialem esse posse, non est ad rem; nã siuè sit spiritualis, recipi poterit in materiâ, siuè sit materialis, recipi poterit in animâ spirituali, sicuti ipsa hominis anima, licèt spiritualis, subiectatur & recipitur in materiâ; & species materiales obiectorum, & sensationes, vt auditio, visio

visio &c. licèt materiales, subiectantur & recipiuntur in animâ rationali spirituali. Addo vnionem materialem in humano composito recipi in materiâ vt in subiecto, & attingere seù terminari ad animam vt ad extremum, quod vnit cum ipsâ materia.

IV. Ob. Ratio per quam mutuò referuntur duo alba non est vna, sed duplex; ergò & ratio, per quam vniuntur duo extrema, scilicet materia & forma, non est vna, sed duplex; ergò debet dari duplex vnio.

Resp. Transeat antecedens, & nego consequentiam: disparitas est, quia munus relationis non est ex pluribus vnum facere, imò potest consistere relatio absque eò quod per ipsam sint duo mutuò relata, vt patet in relatione creaturæ ad creatorem, vi cuius relationis est creatura relata ad creatorem, at creator non est relatus ad creaturam: at munus, imò totum esse vnionis, est ex materiâ & forma vnum facere, & eo ipso quod vnio est, vi ipsius sunt vicissim duo vnita, vt patet ex ipso formali conceptu vnionis physicæ; est enim absurdum dicere, quòd per vnionem materia sit physicè vnita formæ, & hæc eo ipso non sit per eandem vnionem vnita materiæ; sicuti est absurdum dicere, quòd Petrus per catenam sit ligatus cum Pau-

lo, & Paulus per eandem catenam non sit ligatus cum Petro; sicuti ergò vnicum vinculum sufficit ad ligandos simul Petrum & Paulum, ità vnica vnio ad ligandam seù substantialiter vniendam simul materiam & formam sufficiat.

Queres; an vnio inter materiam, & formam sit substantia vel accidens?

Resp. Non esse accidens, sed substantiam modalem. Ratio est, quia vnio requiritur ad constituendum intrinsecè vnum per se: sed vnum per se nequit intrinsecè constitui nisi ex substantijs; ergò vnio est substantia. Minor probatur: quia quod in sui constitutiuo includit, supra materiam & formam, aliquod accidens tantùm, est vnum per accidēs; ergò vnum per se nequit intrinsecè constitui nisi ex substantijs. Antecedens probatur: quia forma & materia simul locatæ vel simul durantes, ideò sunt concreta accidentalia, quia supra materiam & formam important solùm aliquod accidens, nempè durationem, & vbicationem; ergò si vnum per se includeret suprà materiam & formam vnionem, quæ esset accidens, non esset vnum per se, sed vnum per accidens; ergò vnio est substantia. Quòd sit modalis est manifestum; est enim ratio vniens, quæ nequit esse sinè extremis vnitis, licèt ipsa extrema possint esse sinè vnione.

IN SECVNDVM

Aristotelis Librum de Physico Auditu.

DISPVTATIO I.

De Natura.

CVm examinasset Phylosophus principia rerum, accessit ad inuestiganda hoc libro principia cognitionis, seu scientiæ naturalis, & propterea de naturâ & causis præsertim tractauit.

QVÆSTIO I.

Quid sit natura.

VAriæ sunt huius nominis *natura* significationes. Primò solet aliquandò significare vniuersitatem omnium rerum, vt cùm dicitur, *Petrus est in rerum natura.* Secundò significat ipsum naturæ seù vniuersitatis creaturarum authorem, scilicet Deum, sic dicimus *Opus naturæ opus intelligentiæ.* Tertiò accipitur pro secundis causis, vt cum dicitur *Natura facit semper optimum quod potest.* Quartò pro essentia cuiuscumque rei; vt cum dicimus *Definitio explicat naturam rei.* Quintò deniquè pro quietis, & motus sensibilis

prin-

principio intrinseco illi substantiæ, quæ quiescit aut mouetur, iuxta id quod hîc tex. 1. ait Aristoteles: *Quæ enim natura sunt omnia, videntur habere in se ipsis principium motus & status*. De natura hoc vltimo pacto accepta est hîc sermo.

Dico. Cum Aristotele 2. Physic. tex. 3. Natura est principium & causa mouendi & quiescendi in quo est, primum & per se, & non secundùm accidens.

Probatur bonitas allatæ definitionis. Per id optimè definitur natura, per quod naturalia primò & per se differunt à non naturalibus: sed differunt à non naturalibus primò & per se, quia naturalia habent in se ipsis principium sui motus & quietis primùm & per se, & non secundùm accidens; ergò per tale principium optimè definitur natura. Minor patet: nam grauia habent in se principium sui motus deorsum, leuia principium sui motus sursum, animalia & plantæ principium sui motus augumenti & decrementi, elementa & ex eis mixta principium alterationis; è contra verò quæ non sunt naturalia, vt lectus, indumentum, scamnum, gladius, & similia, non habent in se ipsis principium sui motus primò & per se, sed solum per accidens; ergò per illud principium &c. naturalia à non naturalibus differunt. Antecedens

quoad

quoad vltimam partem patet; nam artificialia, si moueantur aut quiescant, mouentur solùm & quiescunt, quatenus ipsorum materia est res naturalis, non autem vt artificialia sunt: e. g. dum lectus, scamnum, gladius, & similia, deorsum mouentur, non habent hoc, quia sint lectus, scamnum, gladius, id est vt artificialia sunt, sed quatenùs sunt lignea, ferrea, vel lapidea: sed respectu artificialium est per accidens, quod sint lignea, ferrea, vel lapidea; ergò per accidens, non autem primò & per se habent illud principium motus; ergò per hoc principium motus & quietis primùm & per se in ipsis naturalibus differunt naturalia à non naturalibus; ergò per hoc optimè definitur natura.

Explicatur iam definitio. Dicitur *principium & causa*, vt intelligatur quòd natura non eodem modo in omnibus est principium motus & quietis, sed diuersimodè; nam in illis, quibus competit mouere, est causa seù principium actiuum motus, vt in animalibus & plantis constat: in illis verò, quibus competit moueri, est principium passiuum motus, vt in grauibus & leuibus, in quibus principium formale motus comprehenditur sub potentiâ passiua; nam grauitas in lapide non est principium vt moueat, sed vt moueatur

ueatur: est autem hoc ipsi naturale, quia consequitur ad formam, ad quam sicuti consequuntur cætera accidentia, ita consequitur & locus, & consequenter moueri ad locum. Dicitur *mouendi & quiescendi*, & accipitur disiunctiuè, scilicet quòd in aliquibus natura est principiũ mouendi; in alijs quæ quiescunt est principium quiescendi; in alijs tandem est principium utriusque; sic in ijs, quæ naturaliter mouentur ad locum, vt sunt grauia & leuia, sicuti est principium mouendi, ita est principium æque imò magis naturaliter in loco proprio quiescendi, quia quod naturaliter mouetur propter locum, magis naturaliter vt in loco, iuxta illud *Propter quod vnunquodque tale & illud magis*. Dicitur *in quo est*, scilicet principium naturale motus & quietis debet esse intrinsecum rei, ad differentiam artificialium, in quibus, quatenùs artificialia sunt, nõ est principium motus, & ideò non est ipsis intrinsecũ, sed extrinsecum, & per accidens. Dicitur *primùm & per se & non secundùm accidens*, scilicet substantiale & vt quod, non autem accidentale & vt quo, sic grauitas & leuitas non sunt natura, quia non sunt ipsa substantia, & principium quod motus & quietis, sed se habent vt quo. Similiter in Medico, qui curat se per artem medicinæ sibi intrinsecam, ta-

lis

lis ars non est natura, quia non est in ipso primò & per se; non enim est de ipsius substantiâ esse Medicum, sed est aduentitia & per accidens.

Ex dictis potest facilè colligi, tùm materiam primam, tùm formam substantialem esse naturam. Materia enim est principium passiuum motus alterationis augumentationis & productionis omnium formarum; quare Aristoteles hîc tex. 10. ait *Vno igitur modo natura sic dicitur prima vnicuique subiecta materia*. Forma pariter, imò magis principaliter est natura, & hoc patet primò, quia adueniente formâ materiæ constituitur natura talis compositi: e. g. adueniente animâ rationali constituitur natura hominis, adueniēte formâ leonis materiæ cōstituitur natura leonis; ergò forma est natura. Secundò quia sicuti forma quæ non redit per generationem non est natura, ità forma quæ redit per generationem est natura: sed forma rei naturalis redit per generationem, fit enim ex plantâ planta, ex homine homo; ergò forma rei naturalis est natura; quarè ait Aristoteles hîc tex. 12 *Alio modo natura vtique erit habentium in se ipsis motus principium forma & species &c. & magis natura est hæc quàm materia*. Totum verò ex materiâ & formâ conflatum non est propriè natura, sed naturale, seù

habens

habens naturam, licèt aliquandò lato modo & impropriè dicatur natura, vt cum dicimus ex materâ & formâ hominis constitui naturam humanam. Multò minùs est natura vnio, quia non est id, quod est principium motus in composito, sed id quo extrema sunt principia motus.

I. Ob. In alteratione elementorum, e. g. in calefactione aquæ, principium motus alterationis est totum ab extrinseco agente, & tamen motus ille est naturalis & à naturâ, ergò non est necesse quod natura sit intrinseca illi quod mouetur.

Resp. Distinguo antecedens: principium actiuum motus est ab extrinseco agente, concedo; principium passiuum, nego antecedens; materia ergò huiusmodi corporum vtpotè de se capax & inclinans ad omnes motus & formas naturales, inclinat etiam & appetit ex vi propriæ naturæ talem motum alterationis, & talem formam; quarè ipsa ex vi propriæ naturæ est passiuum principium naturale talis motus in ipso elemento, e. g. in aqua; & sic saluatur, quomodò natura sit intrinseca illi quod mouetur; ad differentiam motus artificialis, qui non solùm est à principio actiuo extrinseco, sed nec habet in mobili principium intrinsecum passiuum, quia lapis, qui est materia

materia domus nullam habet naturalem inclinationem & appetitum ad formam domus; simile quid valet de ligno, quod non habet naturalem appetitum ad formam scamni, & sic de cetæris; quarè materia artificialium non tendit ex se ad motus & formas artificiales, sed habet ens per accidens. Ex eo igitur quod motus proueniat ab extrinseco, non fit quòd motus non sit naturalis, dummodò sit iuxtà inclinationem ipsius mobilis; quare Cæli sunt natura, & ipsorum motus naturalis est, quia est secundùm corporum cælestium inclinationem.

II. Ob. Si daretur corpus immobile omni motu, esset in ipso natura, & tamen non esset principium mouendi, nec etiam naturaliter quiescendi; quia cum quies sit priuatio motus, non datur propriè quies vbi est incapacitas ad motum: ergò natura malè definitur principium mouendi & quiescendi.

Resp. In prædicto corpore non esset natura, & ità illud corpus esset mathematicum tantùm, non verò physicum, & naturale.

Pro complemento quæstionis notetur, quòd naturale quique potissimùm modis dicitur. Primo prout opponitur supernaturali, in quo sensu etiam artificialia dicuntur naturalia. Secundo pro vt op-

ponitur artificiali, in sensu nuper explicato. Tertio prout opponitur libero, sic dicimus causas necessarias naturaliter agere, hominem verò liberè. Quarto prout opponitur fortuito, seu casuali. Quinto denique prout opponitur violento.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ars opera naturæ facere possit.

Ex dictis in superiori quæstione, differunt in pluribus ars & natura. Primo quidem quia natura est substantiale constitutiuum rei; ars vero non est substantiale constitutiuum, sed accidentale. Secundo artificiale non habet vim producendi sibi simile: e. g. domus domum, lectus lectum; naturale verò habet. Tertio omnia intrinseca constitutiua operis naturalis sunt à naturâ: constitutiua vero artificialis non sunt omnia ab arte, sed materia quæ præsupponitur artificiali, est à naturâ: e. g. materia, quæ presupponitur formæ artificiali scamni, est lignum, quod à naturâ productum est. His prænotatis, breuiter

Dico. Ars potest quidem mediatè, non verò immediatè efficere opera naturæ.

Prob. Quia nequit ars operari, nisi variè disponendo corpora naturalia, seù applican-

plicando actiua passiuis, ergò nequit immediatè, sed mediatè tantùm efficere opera naturæ. Antecedens est euidens; nam medecina, agricultura, & omnes aliæ artes semper præsupponunt naturalia pro materiâ, & ex ipsis aliqua conficiunt purè applicando vnum alteri; ergò nequeunt operari, nisi applicando actiua passiuis, & sic tantùm mediatè, idest mediantibus virtutibus naturalibus, non verò immediatè efficiunt opera naturæ.

Non immoror hîc in obiectionibus soluendis, omnes enim nihil aliud probare possunt, nisi quod artis beneficio naturales virtutes inuicem applicatæ naturales quosdam effectus producant, quod idem est ac artem mediatè producere opera naturæ.

DISPVTATIO II.

De Causis.

NVllam Aristoteles definitionem causæ in communi assignauit, ac propterea alij alias attulerunt. Quidam definiunt. Causa est id, per quod satisfit interrogationi, qua inquiritur propter quid aliquid sit. Alij, causa est id, ad quod sequitur aliud. Alij, causa est id, à quo

aliquid per se pendet. Alij, causa est principium per se dans esse alteri realiter & naturâ à se distincto. Alij, causa est, quæ saltem sustentatiuè concurrit ad dandum esse alteri, quod nec identicè quidem est à se. Alij, causa est principium, vnde aliquid est vel esse potest, tanquam à priori naturâ. Omnes istæ definitiones rectè consideranti non differunt in significatione, sed vt clariùs ratio causæ explicetur, placet illa, quam affert Suarez tomo 1. Metaph. disp. 12. sect. 2. causa est principium per se influens esse in aliud. Dicitur *principium* & hoc est loco generis, cum sit illud commune, quod propinquiùs & immediatiùs competit definito. Dicitur *per se influens*, & per hoc differt à priuatione & causis per accidens, quæ non influunt, nec per se conferunt in aliud. Dicitur *in aliud*, vt significetur illud esse, quod causa dat effectui, debere esse causatum, & dependens ab ipsa, ac propterea distinctum ab esse ipsius causæ. Hîc notate, quòd *alius* & *aliud* in eo differunt, quod *alius* sufficienter habetur per distinctionem solius suppositi seu personæ, & sic in diuinis Filius est alius à Patre, à quo solùm distinguitur in personâ; *aliud* verò significat distinctionem etiam naturæ, quare Filius æternus nō est aliud à Patre. Ad saluandam rationem principij satis

eſt vt, quod eſt ab ipſo, ſit alius; at ad rationem cauſæ requiritur etiam, quod ſit aliud, quare licet Pater æternus ſit principium, non eſt tamen cauſa Filij.

QVÆSTIO I.

Quotuplex ſit cauſa.

ARiſtoteles 2. Phyſic. tex. 28. quatuor cauſarum genera eſſe docuit, ſcilicet materialem quæ eſt materia, formalem quæ eſt forma, efficientem quæ eſt primum principium vnde motus, vt pater filij, & finalem.

Dico. Quatuor tantum ſunt cauſarum genera, ſcilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis.

Probatur. Tot ſunt cauſarum genera, quot ſunt modi, quibus conſtituentia compoſitum naturale influunt per ſe primò in ipſum: ſed hi ſunt tantum quatuor: ergò quatuor ſunt cauſarum genera. Minor probatur; quia compoſitum, quod de nouo fit, non poteſt facere ſe ipſum, ſed ab alio debet fieri, & hoc vocamus cauſam efficientem. Hæc (loquendo de naturali) non poteſt facere ex nihilo, iuxta illud ſuperiùs dictum *ex nihilo nihil fit*; ergò debet facere ex ſuppoſitâ materiâ; & hanc vocamus cauſam materialem. In hanc materiam debet cauſa efficiens introducere aliquam formam ſubſtantia-

lem, vt nuper ostensum est, & hanc dicimus causam formalem. Denique causa efficiens non operatur temerè & casu, sed mota ab aliquo fine, & hanc dicimus causam finalem: sed hæ omnes tantùm per se primò influunt esse in compositum; ergò quatuor sunt causarum genera. Minor probatur; quia efficiens per suam actionem tendit per se primò ad hoc, vt compositum habeat esse; materia & forma per se primo dando se ipsas composito, ideò dant, vt constituatur in esse suo compositum; finis denique verè & per se primò mouet & excitat causam efficientem ad faciendum compositum, quod enim per se & ordinatè efficiens tendat ad compositum, non habet nisi à fine; ergò quatuor istæ causæ per se primo influunt esse in compositum; nec alia est præter istas assignabilis; ergò quatuor tantum sunt genera causarum.

Ex dictis patet, causas alias esse extrinsecas, & alias intrinsecas. Efficiens & finalis sunt extrinsecæ; materialis & formalis sunt intrinsecæ, quia cum causent dando se ipsas, sunt partes totius compositi, quod constituunt. Ex eo tamen quod sint partes compositi, nulla ipsarum est pars causæ, sed singulæ in suo genere sunt causæ totales, quia singulæ habent influxum proprium, & per se diuersum

ab

ab influxu alterius, & simul concurrunt ad constituendam vnam integram & totalem causam, seu ad faciendum totum & integrum compositum, quod est causatum; sic causa formalis e. g. non est pars efficientis, aut aliarum causarum, nec hæ sunt partes illius, aut ad inuicem.

I. Ob. Aristoteles ait causam esse illam per quam satisfit interrogationi propter quid, sed hoc competit soli finali; ergò &c.

Resp. Nego minorem; nam quæstioni propter quid satisfit etiam per alias causas: e. g. interroganti propter quid homo sit mortalis? respondemus propter materiam; propter quid sit viuens? respondemus propter animam; propter quid de nihilo transijt ad esse? respondemus propter causam efficientem.

II. Ob. cum Stoicis. Si omnia, sinè quibus compositum fieri nequit, essent eius causæ, etiam tempus, locus, & motus essent causæ, nam sinè ipsis compositum non fit: sed hoc est falsum; ergò sola causa efficiens est dicenda causa, reliqua verò omnia conditiones & adiumenta ipsius.

Resp. Nego maiorem & eius suppositum; supponit enim obiectio, quòd numerus causarum deducatur ex eo quod sinè ipsis fieri nequeat compositum; nos enim

non probamus, ideò quatuor esse causarum genera, quia sinè quatuor assignatis nequit fieri compositum; sed nitimur alio principio, scilicet quia quatuor sunt, quæ per se primò influunt in compositum, quòd non facit locus nec tempus, quia vtrumque est accidēs merè extrinsecum, nec motus, quia est id quo causa efficiens influit in effectum, non autem principium per se primò influens, vt requiritur ad rationem veræ causæ. E' contrà materia, licèt prærequiratur ad actionem agentis, tamen eodem instanti, quo agens operatur, materia etiam per se influit in compositum; & quamuis respectu compositi sit pars, tamen in suo genere est totalis eiusdem causa; forma etiam, licèt sit effectus agentis, est tamen causa respectu totius compositi, cum compleat ipsius essentiam.

Hîc pro quæstionis complemento notate, in quauis causâ quatuor esse considerandа, scilicet entitatem ipsius causæ, virtutem causandi, causalitatem, & conditiones ad actu causandum. Entitas causæ est res ipsa, quæ influit esse in aliud: e. g. in homine producente alium hominem, ipse homo producens est entitas causæ. Virtus causandi est ratio illa, vi cuius entitas causæ potest influere: e. g. in homine potentia generatiua est virtus causandi.

sandi. Causalitas est actualis influxus in compositum: e. g. ipsa actio generandi, per quam homo actu generat hominem, est eius causalitas. Conditiones dicuntur ea, sine quibus causa exercere nequit suam causalitatem: e. g. ignis non potest comburere lignum sine approximatione, forma non potest informare materiam sine intimâ presentiâ, finis non potest mouêre agens ad agendum sine cognitione &c. approximatio respectu ignis, intima præsentia respectu formæ, cognitio respectu finis, sunt conditiones necessariæ ad hoc, vt tales causæ causent in actu secundo suos effectus.

QVÆSTIO II.

Quænam sit natura, & quid causalitas causæ efficientis.

INter entia naturalia existere de facto multa, quæ per virtutem sibi intrinsecam verè & realiter producunt effectus, manifestum est; sic ignis calefacit, sol illuminat, animalia mouentur, & generant, homo intelligit & vult, meretur & peccat: quare audiendi non sunt qui docuêre creaturas ex propria & intrinsecâ virtute nihil agere, sed Deum ipsum solum agere ad præsentiam creaturarum, vt enim cætera præteream, est alienum ab omni ratione, quòd solus

Deus bonas & malas hominis actiones operetur, & quòd propter ipsas præmium & pœnam homo accipiat. Auicennæ pariter ac Themistij opinio fouenda non est, qui causas naturales nihil aliud agere dixerunt, nisi disponere materiam per varia accidentia, vt in ipsam sic dispositam introducantur formæ, quas omnes putant produci à quadam substantiâ immateriali, quam colchodeam appellant. His prænotatis

Dico. Optimè explicatur natura causæ efficientis ab Aristotele 2. Physic. tex. 29. *Vnde principium mutationis primum aut quietis.*

Probatur. Quia per id optimè explicatur causa efficiens, per quod ab omnibus alijs causarum generibus primò & immediatè differt: sed per allatam definitionem primò & immediatè ab alijs differt; ergò per allatam definitionem optimè explicatur. Minor probatur; quia nulla alia causa est primum principium mutationis, vt patebit infrà; ergò per allatam definitionem primò & immediatè differt efficiens ab omni aliâ causâ.

I. Ob. Antequàm efficiens operetur, mouetur à causa finali; ergò primum principium mutationis non est efficiens, sed finalis. Rursùs causa instrumentalis est propriè efficiens, & tamen non est

prin-

principium primum mutationis, cum non moueat nisi præmota à causâ principali; ergò saltem prædicta definitio non comprehendit omnem causam efficientem.

Resp. Quandò causa efficiens dicitur primum principium mutationis, intelligitur de mutatione subiecti; finis autem, licèt primò moueat agens, non mouet tamen primò subiectum; sic dùm lucrum mouet artificem ad faciendum scamnum, non mouet ipsum lignum, ex quo fit scamnum, sed lignum primò mouetur seù mutatur ab artifice, qui est causa efficiens. Ad secūdum de causâ instrumentali dico, quòd licèt ipsa præmoueatur à principali, tamen principalis non mouet priùs subiectum quàm instrumentalis; sed ambæ simul mouent; sic e. g. dum quis calamo scribit, simul homo & calamus formant charactêres, atque adeò vtraque primò mouet.

Causalitas efficientis est ipse influxus actualis, seù ipsa processio effectus a causa, quia per ipsam denominatur causa agens in actu secundo; & talis actio specificatur à termino, qui producitur; quarè si terminus sit substantia, dicitur actio substantialis; si sit accidens, digitur actio accidentalis.

Diuersas pariter denominationes accipit

cipit actio à modo tendendi causæ in effectum; si enim causa producit effectum successiuè, vt quandò producit motum, actio dicitur successiua; si causa producit effectum totum simul, vt cum producitur illuminatio, intellectio, & similia, actio dicitur instantanea. Si producat effectum ad extrà, idest non receptum in ipsâ causâ, vt cum artifex producit scamnum, actio vocatur transiens: si producat effectum ad intrà, scilicet receptum in ipsâ causâ, vt cum intellectus producit intellectionem, quæ in ipsomet intellectu recipitur, actio dicitur immanens.

Emanatio in hoc differt ab actione immanente, quod actio immanens fit cum mutatione subiecti, idest recipitur in subiecto, quod priùs talem actionem non habebat, atque adeò mutatur subiectum de non esse sub illâ actione ad esse sub illâ, e. g. intellectus de non esse sub tali intellectione ad esse sub illâ: at emanatio fit sinè transmutatione subiecti, res enim quæ emanat, cum sit naturalis subiecti proprietas, per emanationem non ponitur nec fit de nouo in subiecto, atque adeò non est propriè effectus ipsius, cum subiectum nunquam ipsa caruerit, eo enim ipso, quod res est, habet proprietates sibi connaturales, quæ non sunt effectus rei, sed ea quæ fluunt ex ipsâ re.

QVÆ-

QVÆSTIO III.
Quotuplex ſic cauſa efficiens.

PLures ſunt cauſæ efficientis diuiſiones, quarum notitia, quia perutilis eſt, videtur hîc non omittenda.

Primò diuiditur cauſa efficiens in primam ſiuè increatam, qui eſt Deus, & in ſecundam ſiuè creatam, quæ eſt creatura.

Secundò diuiditur in cauſam per ſe, & cauſam per accidens, quæ propriè & verè cauſa non eſt; ſed quandam habet cum cauſâ ſimilitudinem, aut coniunctionem. Cauſa per ſe eſt, à qua vt tali directè pendet effectus vt effectus eſt, vt pater eſt per ſe cauſa filij, artifex ſcamni. Cauſa per accidens eſt, à qua indirectè & non vt tali effectus pendet: e. g. muſicus eſt cauſa per accidens ſcamni, quia hoc pendet ab homine, non vt muſicus eſt, ſed vt faber lignarius.

Tertiò diuiditur in vniuerſalem, & particularem. Vniuerſalis eſt, quæ cum pluribus cauſis particularibus habet concurrere ad earum effectus producendos, ſic ſol cum homine, equo, planta &c. concurrens ad producendos ipſorum effectus eſt cauſa vniuerſalis. Particularis eſt, quæ non cum alijs cauſis ſubordinatis, ſed ſe ſolâ peculiares effectus producit:

e. g. artifex est causa particularis scamni.

Quartò diuiditur in principalem, & instrumentalem. Principalis est, quæ per virtutem nobiliorem vel æquè nobilem cum effectu, influit in actionem, per quam effectus producitur. Instrumentalis est, quæ influit in effectum per virtutem inferiorem effectui, qui producitur: e. g. calor disponens ad formam ignis influit in ipsam formam, quæ est virtutis superioris ipsi calori: semen influit in productionem animalis, quod est virtutis nobilioris quàm semen,

Porrò instrumentum diuiditur in actiuum & passiuum, coniunctum & separatum. Actiuum seù naturale est, quod habet in se qualitatem actiuam: e. g. semen habet in se virtutem actiuam ad producendam arborem. Passiuum seù artificiale est, quod à causâ principali non accipit virtutem actiuam, sed solùm motum localem: e. g. calamus ad scribendum nihil accipit, nisi motum localem. Coniunctum est, quod non agit nisi vt actu coniunctum causæ principali: e. g. calamus, penicillus, non agunt nisi coniuncti homini scribenti aut pingenti. Separatum est, quod non eget actuali coniunctione & concursu principalis ad agendum actu: e. g. semen non indiget actuali coniunctione aut concursu plan-

tæ

tæ vt producat plantam.

Quintò diuiditur in vniuocam, & æqui uocam. Vniuoca est, quæ operando per virtutem propriæ formæ producit effectum eiusdem secum speciei: e. g. homo generans hominem, leo leonem. Æquiuoca est, quæ producit effectum à se specie diuersum: e. g. Deus est causa æquiuoca creaturarum, sol est causa æquiuoca sublunarium.

Sextò diuiditur in liberam, & necessariam. Libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, aut non agere. Necessaria est, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum non potest non agere.

Septimò diuiditur in physicam, & moralem. Physica est, quæ per virtutem intrinsecam seu realem operatur: e. g. ignis per virtutem intrinsecam & realem comburit. Moralis est, quæ tantùm imputatiuè operatur, idest quæ realiter non agit, sed ipsi imputatur effectus: e.g. consulens homicidium, licèt realiter non occîdat, est causa moralis homicidij, quod alter eius consilio impulsus patrauit sinè consortio alterius.

Octauò diuiditur in totalem, & partialem. Totalis est, quæ sinè consortio alterius in eodem genere & ordine producit totum, sic materia est causa totalis

quia in suo genere non admittit alterius consortium. Partialis est, quæ cum consortio alterius in eodem genere & ordine causat totum, sic pater & mater sunt singuli partiales, quia in eo genere, in quo causant, vnus requirit consortium alterius.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm causa efficiens ad agendum requirat passum sibi dissimile.

NOmine passi non intelligitur hîc terminus actionis, cum enim intentio causæ sit producere effectum sibi similem, non potest illum requirere dissimilem; intelligitur ergò de initio ipsius actionis, an videlicet quandò causa efficiens agere incipit, requirat, vt tunc passum sibi sit dissimile.

Dico. Causa efficiens ad agendum requirit passum sibi dissimile.

Prob. Quia causa efficiens agit quatenùs est in actu, in passum quatenùs est in potentiâ; ergò requirit passum sibi dissimile. Antecedens probatur; quia agere est dare alteri esse: sed nemo potest dare alteri esse, quod actualiter non habet; ergò causa efficiens agit quatenùs habet actu illud esse quod intendit alteri communicare; ergò agit quatenùs est in actu. Quòd vero passum sit in potentiâ patet, nam

nam agens, dum dat esse passo, reducit ipsum de non habente tale esse ad habendum illud; ergò reducit ipsum de potentiâ in actum; ergò necessariò requirit quòd passum sit in potentiâ: sed quod est in potentiâ est dissimile illi, quod est in actu; ergò agens requirit passum sibi dissimile.

Ex hoc, quod causa tendat ad dandum esse effectui, duo deducuntur. Primum est actionem efficientis nunquam terminari per se ad non esse rei, quia terminus per se actionis realis debet esse quid reale: sed non esse seù destructio rei non est quid reale; ergò actio per se numquam terminatur ad non esse seù ad destructionem rei: quarè si ex actione positiuâ sequitur destructio alicuius rei, id non sequitur ex vi actionis, sed merè per accidens, & ex incompossibilitate cum re, quæ per actionem generatur: v. g. corrumpitur lignum positâ actione generatiuâ ignis, non quia talis actio tendat per se ad destruendum lignum, sed quia esse ignis, quod per ipsam producitur, est incompossibile cum esse ligni; & hoc indicatur illo axiomate, *nullum agens intendens ad malum operatur*. Secundum est, quod quandò destruitur aliquid, & non generatur aliud, vt cum per absentiâ solis à nostro hemisphærio destruitur

in

in aere lumen absque eo quod in eodem aere producatur aliquid cũ eo lumine incompossibile, tunc illa destructio non fit per aliquam actionẽ, sed per carentiam, iuxtà illud axioma *sicut affirmatio est causa affirmationis, sic negatio est causa negationis.*

Ob. Maior ignis est similis minori, & tamen ipsum extinguit; duo vitra sunt similia, & tamen vnum collîdit aliud. Vnum speculum speciem ab obiecto receptam transmittit in aliud speculum sibi simile; ergò agens non requirit passum sibi dissimile.

Resp. Quòd maior ignis non extinguit directè sed indirectè minorem, scilicet quatenùs pabulum ipsius absumit, quo absumpto necesse est perire minorem ignem. Vnum vitrum collîdit aliud, quatenùs habet impetum contrarium alteri, quem impetum non habet alterum, & sic est dissimile vitro collidenti. Speculum eo instanti, quo transmittit speciem, habet ipsam in se, cum illam primò receperit, & tunc, illam nondùm habet aliud speculum ac propterea est priori dissimile.

QVÆSTIO V.

Vtrùm accidentia possint substantiam immediatè producere.

CErtum est, accidentia non posse principaliter producere substantiam, quia vt superiùs vidimus, cum causa principalis debeat esse nobilior, vel saltem æquè nobilis ac effectus; accidentia autem sint ignobiliora ipsâ substantiâ, repugnat esse principalem causam substantiæ; quarè superest videndum, an possint esse causa instrumentalis.

Dico. Accidentia possunt immediatè producere substantiam.

Probatur. Quia non rarò præsentibus solis accidentibus producitur substantia; ergò accidentia immediatè producunt substantiam. Antecedens probatur; quia videmus, quòd dum aer inter calybem & silicem atteritur producto calore, producitur substantia ignis; idemque sequitur, dum vehementiùs cum aliquo duro corpore atteruntur funes à nautis & alijs artificibus; sed tunc sunt præsentia sola accidentia, non autem substantia ignis; ergò accidentia immediatè producunt substantiam.

Aduertite tamen, quòd sicuti causa principalis productiua substantiæ est substantia, ità ipsa accidentia producunt

substantiam in virtute substantiæ, non quòd ipsa accidentia sint causa, sed quia sunt virtus ipsius causæ, scilicet substantiæ producentis; quarè in rigore non esset dicendum quòd agant in virtute, sed potiùs vt virtus substantiæ. Ratio est quia vnumquodque principium actiuum eo modo agit, quo est ens: sed accidens non est nisi ens entis, scilicet substantiæ; ergò non agit nisi vt ens, seù virtus substantiæ.

I. Ob. Nemo dat quod non habet: sed accidentia non habent in se substantiam, cum sint longè imperfectiora; ergò non possunt dare substantiam.

Resp. Concesso toto syllogismo nihil probatur contra nostram conclusionem; nam dare apud philosophiæ peritos, est idem ac principaliter communicare, vel causare; cum autem accidentia, nec principaliter communicent, nec causent substantiam, sed sint id, quo producitur substantia, non est necesse, quòd habeant substantiam, sed satis est, si sint instrumentum proportionatum, seù si sint, vt verè sunt, ipsa virtus agendi substantiæ producentis; sicuti per aduersarios, vt actio producat effectum, non requiritur, vt habeat in se formaliter aut eminenter effectum, sed satis est, si sit ratio producendi causæ continentis perfectionem effe-

effectus; ita etiam, vt pennicillus producat picturam, calamus characteres, non requiritur, vt contineant in se tales effectus, sed satis est si sint instrumenta proportionata causis producentibus, scilicet pictori & scriptori, qui cum sint propriè dantes esse picturæ & scripturæ, debent illam in se saltem virtualiter præcontinere.

II. Ob. Si accidentia producerent in virtute substãtiæ, ipsum agere in virtute substantiæ poneret in illis aliquid supra conditionem accidentis: sed hoc est absurdum; ergò non agunt in virtute substantiæ.

Resp. Nego sequelam maioris; nam agere in virtute substantiæ non significat accidentibus additam seù transfusam in ipsâ substantialem virtutem: sed accipitur intransitinè, idest significatur, ipsa accidentia esse virtutem, qua substantia agit; esse autem virtutem qua substantiæ nihil ponit in accidentibus suprà ipsorum conditionem.

III. Ob. Quandò producitur ignis ex attritu calybis cum lapide, calor non agit vt virtus ignis; ergò falsum est accidentia agere vt virtus substantiæ. Antecedens probatur: quia calor non est virtus ignis nisi quatenùs productus ab igne; sed tunc non est productus ab igne, sed à

causa

causâ vniuersali, e. g. à sole; ergò non agit vt virtus ignis, sed potiùs dicendus erit agere vt virtus solis, quod tamen est absurdum.

Resp. Nego antecedens, & maiorem ipsius probationis; nam accidentia considerata vt virtutes semper sunt virtutes substantiæ, ad quam dicunt essentialem relationem, & ità calor semper est virtus ignis, ad hoc autem vt sint virtus substantiæ, non requiritur vt ab illâ producantur, sed satis est si sint debita illi substantiæ, cuius sunt virtus; sic calor est virtus ignis, quia debitus est igni, etiamsi non ab igne, sed à sole, aut aliâ causâ quandôque producatur, eo pacto quo pennicillus semper est instrumentum pictoris, licèt ab alio artifice producatur, quia artifex facit pennicillum vt pictori debitum; calamus est instrumentum scriptoris, quia scriptori debitus est, licèt à scriptore non producatur; quare meritò negatum est, quod accidentia ideò sint virtus substantiæ, quia à substantia producuntur, potiùs enim dicendum est, quòd ideò sint virtus substantiæ, quia ex propriâ naturâ sunt debita substantiæ, vt instrumenta, per quæ agat.

QVÆSTIO VI.

Quinam sit effectus, & quæ causalitas causæ finalis.

F*Inis est id, cuius gratia,* inquit Aristoteles 2. Physic. tex. 29. sic sanitas est finis deambulantis, quia deambulatio fit gratiâ sanitatis.

I. Diuiditur in finem cuius, seù qui, & in finē cui. Finis cuius seù qui, est res ad quā adipiscendam agens mouetur, vt sanitas ad quam adipiscendam mouetur ambulans. Finis cui dicitur ille, cui procuratur finis qui; sic ipse ambulans, cui procuratur sanitas per ambulationem, est finis cui.

II. In formalem, & obiectiuum. Formalis est operatio, in qua vltimò sistit agens; obiectiuus est ipsum obiectum, quòd ea operatione attingitur: e. g. finis formalis physici est cōtemplatio naturæ; physicus enim in eâ contemplatione sistit: ipsa verò natura est finis obiectiuus.

III. In finem operis, & finem operantis. Finis operis est, id cuius gratiâ est opus seù facultas ex propriâ naturâ: e. g. finis operis in logica practica, est recta operatio intellectus, quia ex propriâ naturâ ad illam ordinantur præcepta logicæ. Finis operantis est id, cuius gratiâ non ipsum opus aùt facultas ex propriâ

naturâ, sed operans aut habens illam facultatem aliquid facit: e. g. si logicam quis discat propter lucrum, hoc erit finis operantis.

XV. In finem proximum, & vltimum. Proximus est, qui ità propter se amatur, vt tamen vel ex naturâ suâ, vel ex intentione operantis tendat & referatur in vlteriorem finem, e. g. ad bonum reipublicæ. Vltimus est, qui ità propter se amatur, vt ad vlteriorem finem non ordinetur: e. g. gloria propter quam quis moritur. His prænotatis.

I. Dico. Effectus causæ finalis est quidquid fit gratiâ finis.

Prob. Quia ille est effectus alicuius causæ, qui ponitur vi illius: sed quidquid fit gratiâ finis, ponitur vi finis, vt per se patet; ergò est effectus finis; quare electio & exequutio seù vsus mediorum, complacentia ex bonitate apprehensâ, amor efficax bonitatis, consultatio præcedens electionem mediorum, & gaudium ex bonitate possessâ, cum sint omnia vi finis, meritò dicuntur effectus ipsius.

II. Quoad causalitatem finis in actu secundo Dico. Causalitas finis, est ipsa actio, qua ponitur effectus causæ finalis.

Prob. quia nomine causalitatis propriè & in actu secundo, intelligitur id, quo

quo causa denominatur actu causans: sed finis denominatur actu causans, positâ prædictâ actione, & ipsâ non positâ, intelligitur quidem potens causare, sed non actu causans; ergò prædicta actio est causalitas finis; quarè dum quis propter sanitatem ponit deambulationem, ipsa actio, qua ponitur deambulatio, est causalitas finis.

Ob. Contrà primam concl. Illud est effectus finis, quod procedit ex amore ipsius: sed amor finis non procedit ex amore finis, alioquin daretur processus in infinitum: ergò non est effectus finis. Similiter gaudium oriens ex possessione finis, nequit esse effectus ipsius, quia acquisito fine cessat actio seù motus, vt ait Aristoteles 1. de Gener. tex. 55. sed cessante actione cessat causalitas, ergò finis iam acquisitus non causat; ergò gaudium prouenjens post eius acquisitionem non est effectus finis.

Resp. Nego maiorem; nam ad hoc vt aliquid sit effectus finis, non est necesse vt procedat ex amore, sed ex bonitate finis, quæ alliciens voluntatem causat eius amorem, ac proindè verè talis amor est productus â fine. Ad secundum distinguo antecedens: cessat actio seu motus quo tenditur ad consequutionē finis, concedo; actio qua quiescitur in fine, nego; actio er-

gò ad gaudium non est actio, qua tenditur ad assequendum finem; sed qua quiescimus vitaliter, in ipso fine, ac propterea non cessat etiam post acquisitum finem. Dixi *vitaliter* vt significarem quietem in fine non consistere in purâ carentiâ motus, vt est quies naturalis, sed in actione internâ, qua fruimur bono possesso.

Ob. Contra secundam concl. Actio, qua ponitur effectus causæ finalis, est vera motio; sed causalitas finis est motio metaphorica, vt ait Aristoteles: ergò actio prædicta non est causalitas finis. Confirmatur; quia videtur improbabile, quòd eadem actio sit causalitas causæ efficientis & finalis.

Resp. Distinguo minorem: est metaphorica in ratione efficientis, concedo; in ratione finalis, nego: Aristoteles ergò sentit principium motus verè & propriè esse causam efficientem; causam verò finalem esse efficientem non propriè, sed translatiuè & metaforicè: e. g. dum ego ambulo gratiâ sanitatis, deambulatio verè efficitur à me, à sanitate verò non efficitur nisi metaphoricè, quod idem est ac dicere, prædicatum proprium causæ efficientis conuenire finali metaphoricè, & non propriè: at actio illa, quæ est causalitas finis, non est actio metaphorica, sed vera & propria actio, ideóque per

ipsam

ipsam verè & propriè ponitur effectus finis. Ad confirmationē dico nihil repugnare, quòd vna eademque actio sit causalitas plurium & diuersarum causarum, sicuti eandem vnionem diximus esse causalitatem materiæ & formæ.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm bonitas finis sit ratio finalizandi.

CVm finis non moueat nisi præcognitus, iuxta illud, *nihil volitum quin præcognitum*, quæritur hîc, an ratio finalizandi seù mouens sit cognitio ipsa, an verò bonitas in fine relucens. Vix reperitur iam qui affirmet cognitionem; de bonitate contradicunt Ocham, & Nominales, quibus videtur adhærere Scot. in 1. Sent. D. 1. q. 4. dicente etiam malū sub ratione mali posse mouere voluntatem ad amandum, atque adeò etiam malum qua malum esse rationem finalizandi.

Dico. Sola bonitas finis est proxima & formalis ratio finalizandi.

Prob. In causâ finali illa est ratio proximè mouens, cuius gratiâ ponuntur media, & quæ obtenta satiat appetitum: sed hæc non est nisi bonitas finis; ergò &c. Minor probatur: nam bonitas sanitatis est illa cuius gratiâ sumitur pharmacum ab ægroto; bonitas diuitiarum est illa propter quam auarus ponit-

negotiationem, & hi aliique similes quæ-scunt non habitâ cognitione sanitatis aut diuitiarum, sed habitâ ipsâ bonitate; ergò sola bonitas est illa, cuius gratiâ ponuntur media.

Quod verò malũ qua malum non possit esse ratio finalizandi sic probatur: quia quod mouet voluntatem, ipsam allicit & trahit: sed hoc nullo modo potest præstare malum qua malum; ergò nequit mouere voluntatem. Minor probatur; quia malum vel allicit voluntatem ratione malitiæ formalis, vel ratione entitatis, quæ subest malitiæ; non ratione malitiæ, quia hæc cùm consistat in defectu, nihil est, ideôque mouere nequit; non ratione entitatis quæ subesse potest malitiæ, quia hæc entitas est quid bonum; ergò malum qua malum nullo modo potest allicere voluntatem; ergò nec mouere. Confirmatur ex illo vulgatissimo axiomate, *Bonum est, quod omnia appetunt*, cuius sensus est, omnia appetere id quod sibi bonum est, appetitus enim fertur ad satisfactionem & quietem propriam in eo quod appetenti conueniens est; ergò malum qua malum, cùm sit disconueniens, & nequeat esse satisfactiuum & quietatiuum, nequit mouere appetitum; quarè meritò concludendũ est cùm S. Damasc. lib. 2. de fide c. 22. *Nemo intendens ad malũ operatur.*

I. Ob.

I. Ob. Causa finalis causat secundùm esse intentionale: sed esse intentionale est cognitio;ergò causat vi cognitionis. Cõfirmatur; quia obiectum apprehensum vt bonum, cum re verâ non sit, causat: sed tunc non causat bonitas, quæ nulla est; ergò causat cognitio: consequentia probatur, quia sublatâ cognitione perit in fine tota virtus causandi; ergò &c.

Resp. Distinguo maiorem; causat secundùm esse intentionale obiectiuum, concedo; formale, nego: & distinguo minorem; esse intentionale formale est cognitio, cõcedo; obiectiuum, nego: quandò ergò per cognitionem repræsẽtatur obiectum aliquod, duo sunt consideranda in illâ intentione, scilicet res ipsa cognita seu repræsentata, & cognitio per quam repræsentatur; ipsa verò res repræsentata in cognitione dicitur esse intentionale obiectiuum. Id quod finalizat non est ipsa cognitio, sed est esse obiectiuum rei relucens in illa cognitione; ægrotus enim ad sumendam medicinam mouetur non à cognitione, sed ab esse sanitatis per cognitionem repræsentatæ Hinc patet ad confirmationẽ;quandò enim amatur obiectum apprehensum vt bonum, cum re verâ bonum non sit, non amatur cognitio, sed bonitas per cognitionem repræsentata, quæ licèt non sit à parte rei, est

negotiationem, & hi alijque similes quaescunt non habitâ cognitione sanitatis aut diuitiarum, sed habitâ ipsâ bonitate; ergò sola bonitas est illa, cuius gratiâ ponuntur media.

Quod verò malũ qua malum non possit esse ratio finalizandi sic probatur: quia quod mouet voluntatem, ipsam allicit & trahit: sed hoc nullo modo potest praestare malum qua malum; ergò nequit mouere voluntatem. Minor probatur; quia malum vel allicit voluntatem ratione malitiae formalis, vel ratione entitatis, quae subest malitiae; non ratione malitiae, quia haec cùm consistat in defectu, nihil est, ideòque mouere nequit; non ratione entitatis quae subesse potest malitiae, quia haec entitas est quid bonum; ergò malum qua malum nullo modo potest allicere voluntatem; ergò nec mouere. Confirmatur ex illo vulgatissimo axiomate, *Bonum est, quod omnia appetunt*, cuius sensus est, omnia appetere id quod sibi bonum est, appetitus enim fertur ad satisfactionem & quietem propriam in eo quod appetenti conueniens est; ergò malum qua malum, cùm sit disconueniens, & nequeat esse satisfactiuum & quietatiuum, nequit mouere appetitum; quarè meritò concludendũ est cùm S. Damasc. lib. 2. de fide c. 22. *Nemo intendens ad malũ operatur.*

I. Ob.

I. Ob. Causa finalis causat secundùm esse intentionale: sed esse intentionale est cognitio; ergò causat vi cognitionis. Cõfirmatur; quia obiectum apprehensum vt bonum, cum re verâ non sit, causat: sed tunc non causat bonitas, quæ nulla est; ergò causat cognitio: consequentia probatur, quia sublatâ cognitione perit in fine tota virtus causandi; ergò &c.

Resp. Distinguo maiorem; causat secundùm esse intentionalē obiectiuum, concedo; formale, nego: & distinguo minorem; esse intentionale formale est cognitio, cõcedo; obiectiuum, nego: quandò ergò per cognitionem repræsẽtatur obiectum aliquod, duo sunt considerãda in illâ intentione, scilicet res ipsa cognita seù repræsentata, & cognitio per quam repræsentatur; ipsa verò res repræsentata in cognitione dicitur esse intentionale obiectiuum. Id quod finalizat non est ipsa cognitio, sed est esse obiectiuum rei relucens in illa cognitione; ægrotus enim ad sumendam medicinam mouetur non à cognitione, sed ab esse sanitatis per cognitionem repræsentatæ Hinc patet ad confirmationẽ; quandò enim amatur obiectum apprehensum vt bonum, cum re verâ bonum non sit, non amatur cognitio, sed bonitas per cognitionem repræsentata, quæ licèt non sit à parte rei, est

tamen obiectiuè in intellectu, & hoc satis est vt possit mouere. Quandò autem perit cognitio, non perit in fine virtus causandi, sed solùm deest conditio, sinè qua finis non causat, eo pacto quo deficiente approximatione non deficit virtus ignis ad calefaciendum, sed solùm conditio, sinè qua ignis non calefacit passum.

II. Ob. Aliqui interimentes se ipsos appetũt non esse: sed hoc est malum; ergò appetunt malum. Rursùs potest aliquis amare peccatum vt peccatum est, scilicet vt est offensa Dei: sed hoc est amare malum vt malum; ergò malum vt malum potest mouere voluntatem.

Resp. Distinguo minorem: est malum in se & physicè, cõcedo; in intentione operantium, nego; qui se interimunt, apprehendunt non esse vt bonum, scilicet vt liberatiuum ab ærumnis; sic damnati vellent non esse, quia per non esse apprehendunt se fore liberos ab æternis cruciatibus, quos patiuntur. Similiter qui amant peccatum vt offensam Dei, licèt cognoscant & apprehendant illud esse malum Dei, tamen putant esse bonum sui, quia apprehendunt vt iucundum, & delectabile sibi videre Deum priuatum debito obsequio & honore, sicuti improbi homines aliorum infamiam vel mortem procurant, quia apprehendunt fore sibi iucun-

iucundum videre malum aliorum; quarè semper appetitus fertur in bonum repræsentatum in cognitione appetentis.

III. Ob. Voluntas aliquandò mouetur à fine ad vitandum aliquid: sed tunc mouetur ratione malitiæ; ergò malum vt malum potest mouere voluntatem, & sic esse ratio finalizandi.

Resp. Malum quod vitat est terminus à quo recedit voluntas; finis autem non est terminus à quo, sed terminus ad quem, ac propterea tunc voluntas fugit malum, vt adhæreat bono; quarè bonum est id, quod trahit ad se voluntatem, & sic bonum habet rationem finis & finalizat, non autem malum.

Instabis. Voluntas vi suæ libertatis potest tendere ad minus bonum relicto maiori; ergò potest etiam tendere ad malum.

Resp. Nego consequentiam, quia malum vt malum est extrà obiectum voluntatis, ideôque circà ipsum nequit voluntas exercere suam libertatem, at minus bonum est intrà eius obiectum, ideôque circà ipsum tendere potest.

Quæres. Vtrùm omnia agentia naturalia agant propter finem.

Resp. Nomine agentium naturalium, itelliguntur hîc non intellectualia, quorum aliqua operantur cum cognitione,

vt bruta, alia sinè cognitione, vt plantæ: omnia autem propter finem operantur. Ratio est, quia omnia agentia naturalia operantur aut semper aut frequenter eodem modo: e. g. gallina fouet pullos, hirundo construit nidum, canis insequitur leporem, plantæ folia flores & fructus semper eodem modo aut frequenter producunt; ergò propter finem agunt. Consequentia probatur; quia quæ temerè & casu fiunt, rarò & non eodem modo contingunt; ergò quæ fiunt semper aut frequenter, eodem modo fiunt non temerè & casu; ergò propter finem. Rursùs ars operatur propter finem, quia ponit vnum propter alterum: sed etiam natura hoc præstat, vt patet in hirundine ponẽte nidum propter oua, oua propter pullos, in plantis ponentibus flores propter fructus, & in omnibus alijs naturalibus; ergò agentia naturalia operantur propter finem.

QVÆSTIO VIII.
Quid sint fortuna, casus, & fatum.

FOrtunam ab antiquis deam creditam omnibus compertum est, & impugnatur ab Augustino lib. 4. de Ciuit. Dei c. 18. & Lactantio Firmiano lib. 3. de verâ sapient. 1. 28. & 29.

Fatum

Fatum apud antiquos dicebatur causarum colligantia ex astrorum motibus ac vi efficaciam trahens. Stoici verò, vt patet ex Seneca lib. 2. Natural. q. 35. necessitatem fati non ex astris, sed ex diuino decreto putantes, dicebant quòd fatum est necessitas rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat, cui necessitati non modò creaturas, sed etiã ipsum Deum, ità subesse, vt nec potuerit res aliter condere quàm condidit, nec aliter gubernare quàm gubernat; non modò aliqui ex antiquis, sed etiam moderni hæreticorum quidam sensêre, vt Petrus Abailardus, Vviclephus, à quibus non multum differt opinio Caluini eiusque assectarum dicentium, Deum ità applicare & mouere causas secundas ad operandum, vt necessariò illud tantùm agant, ad quod impellũtur, & nihil aliud; quæ necessitas respectu solius Dei, non autem hominum, variabilis est.

Vt ea quæ dicturi sumus in rem præsentem facile percipiantur, sciendum est, quòd ex effectibus naturalibus alij semper fiunt, vt ortus solis; quidam frequẽter, vt quòd homo nascatur bipes; quidam rarò & præter intentionem causæ, & hi sunt effectus per accidens. Dupliciter autem aliquid est per accidens, scilicet vel ex parte causæ vel ex parte effe-

ctus. Ex parte causæ, quandò id, quòd dicitur causa per accidens, coniungitur causæ per se: e. g. est per accidens ex parte causæ, quod musicus ædificet, quia musica, quæ est causa per accidens ædificij, coniungitur in eodem homine arti ædificatoriæ, quæ est causa per se. Ex parte effectus, quandò effectui per se intento & producto ab aliquâ causâ coniungitur alter non intentus & per accidens: e. g. si fossioni terræ, quam per se intendit rusticus, coniungatur inuentio thesauri non intenta, dicitur inuentio thesauri per accidens ex parte effectus. Porrò hic effectus potest esse vel coniunctus effectui causæ operantis ex electione, vt est inuentio thesauri iũcta fossioni factæ à rustico, qui ex electione fodit; vel causæ operantis non ex electione, vt cum descensui lapidis iungitur mors hominis indè transeũtis, lapis enim non ex electione, sed naturaliter descendit. His prænotatis.

Fortuna est causa operans ex electione, cuius effectui per se intento coniungitur alter per accidens, vt dictum est de fossione inueniente thesaurum.

Casus est causa operans non ex electione, cuius effectui per se coniungitur alter per accidens. Cum autem respectu Dei omnia dirigentis nihil accidat præter intentionem, propterea nullus est effectus

for-

fortuitus respectu illius.

Fatum non esse admittendum in sensu nuper explicato docet catholica fides, & naturalis ratio suadet, si enim vel ex astris vel ex Deo necessitas īponatur creaturis rationalibus in operando, eo ipso aufertur liberum hominis arbitrium, & euertitur omnis iustitia ciuilis gubernationis; sicut enim ineuitabile esset quidquid fieret, sic immeritò etiam reprehenderentur & punirentur, qui delinquunt, dum non suo vitio sed fatali necessitate delinquerent.

Si ergò nomine fati velimus appellare immobilem diposi tionem in rebus mobilibus, per quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus, pòtest admitti; nam hoc pacto significatur causas secundas esse subordinatas diuinæ prouidētiæ, quæ omnia ab æterno cognoscens vt futura sunt, omnibus iuxtà ipsorum naturam ità prouidit, vt infallibiliter (quod nomine immobilis indicatur) sit euenturum quidquid ab illo præuisum est; talis tamen præuisio, vt suo loco dicemus, nullam imponit causis secundis necessitatem operandi; non enim ideò erunt earum effectus, quia præuisi sunt; sed potiùs ideò sunt præuisi, quia erunt à suis causis iuxtà proprias naturas operaturis.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm totum physicum distinguatur intrinsecè à partibus simul sumptis & vnitis.

EX dictis patet, partes constitutiuas totius esse materiam & formam vnitas. Certum est totum distingui à partibus singillatim acceptis, nam de singulis est negabile verè dicendo, totum non est materia, totum non est forma; quarè dubium est an distinguatur à partibus simul sumptis & vnitis.

Dico. Totum intrinsecè non distinguitur à partibus collectiuè sumptis.

I. Prob. Quia si totum distingueretur à partibus collectiuè sumptis, vel esset vnitum, vel non vnitum cum ipsis. Si primum, ergò ex vnione totîus cum partibus fieret totum; ergo totum esset pars, quod implicat. Si secundum; ergo totum intrinsecè non constaret partibus. Consequentia probatur; quia nihil intrinsecè constat ex ijs à quibus est separatum.

II. Prob. Quia ab eo non distinguitur totum quo præcisè habito & intellecto habetur & intelligitur totum: sed præcisè habitis & intellectis partibus collectiuè sumptis habetur & intelligitur totum; ergò totum non distinguitur à partibus collectiuè sumptis. Minor probatur

tur; quia præcisè habitis & intellectis e.g. materia & anima rationali vnitis, habetur & intelligitur animal rationale seù homo quod est totum; ergò præcisè habitis partibus collectiuè acceptis habetur & intelligitur totum; ergò totum ab illis non distinguitur.

I. Ob. Cum Scotistis. Partes collectiuè acceptæ causant totum; ergo distinguuntur à toto. Consequentia probatur; nam omnis effectus distinguitur à sua causa. Confirmatur; quia si partes essent idem cum toto, essent etiam idem inter se, iuxta illud, *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*.

Resp. Nego antecedens; nam collectiuè sumptæ sunt ipsum causatum seù totum, quod causant; distributiuè acceptæ, scilicet cum sumuntur vna in recto & alia in obliquo: e. g. materia quatenùs recipit formã, & forma quatenùs actuat materiam. At si sumantur collectiuè, scilicet omnes in recto, e. g. materia & forma simul vnitæ, non causant. Ad confirmationem distinguo; quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, concedo; inadæquatè vt est in hoc casu, nego.

Instabis. Accipi collectiuè vel distributiuè est opus intellectus: sed opus intellectus non facit, vt aliqua distinguantur, vel identificentur realiter cum aliquo; ergò &c. Resp.

Resp. Concedo totum, sed hoc nihil facit contra nos; nam etiam affirmare vel negare aliquid de alio est opus intellectus, & tamen si affirmetur de homine rationale, est verum, si negetur est falsum. Cum igitur dicimus partes collectiuè aut distributiuè, explicamus in qua suppositione fit illud *omnes partes*, cum dicuntur esse ipsum totum, scilicet in suppositione collectiua; eo pacto quo in propositione *omnes Apostoli sunt sancti* est acceptio distributiua, *omnes Apostoli sunt duodecim* est collectiua.

II. Ob. Singulæ partes sunt causæ partiales totius; ergo partes collectiuè acceptæ sunt causa totalis; ergo totum distinguitur à partibus collectiuè acceptis. Confirmatur; quia in eo genere, in quo datur causa partialis, debet dari totalis, vt patet in causa extrinseca; ergò &c.

Resp. Nego antecedens; nam singulæ, vt superiùs dictum est, sunt causæ totales, cum in eo genere in quo causant non admittant aliam concausam. Ex quo patet ad confirmationem.

III. Ob. Si totum non distingueretur à partibus collectiuè sumptis, non posset in generatione hominis assignari substantialis terminus generationis, scilicet vlla entitas substantialis, quæ per generationem producatur; ergo &c. Antecedens

pro-

probatur; nam in homine non generatur materia, non generatur forma, quæ sunt ipsa hominis substantia; ergo nullus poterit assignari substantialis terminus generationis.

Resp. In omni generatione terminum vt quod esse ipsum totum, ad quod per se ordinatur generatio; terminum verò vt quo esse formam: in generatione autem hominis forma non attingitur terminatiuè, scilicet vt terminus formaliter productus per ipsam generationem, sed dispositiuè, scilicet quatenùs ab homine generante inducuntur tales dispositiones, quæ de se formam rationalem exigunt, estque propterea non accidentalis sed substantialis generatio hominis, quia dispositiones ab homine generante productæ sunt per se ordinatæ ad formam substantialem.

Instabis. Sequeretur, quòd sicuti totum corrumpitur, etiam partes collectiuè sumptæ corrumperentur.

Resp. Conuenire partibus collectiuè sumptis ea, quæ conueniunt toti, ideóque etiam de ipsis verificatur corrumpi, perit enim simultas quam habent inter se, qua pereūte non sunt amplius collectiuè.

QVÆ-

QVÆSTIO X.
Vtrùm detur mutua prioritas naturæ.

PRioritas alia est temporis, vt Alexander Macedo fuit prior nobis prioritate temporis. Alia est ordinis, vt logica est prior prioritate ordinis physicâ. Alia est dignitatis, vi cuius dicitur prior, qui maiorem obtinet dignitatem: sic prīceps est prior subditis. Alia est à subsistendi consequentiâ, cum scilicet ex vnius existentiâ infertur existentia alterius, & non è contrà: e. g. ab existentiâ hominis infertur existentia animalis; est enim legitima illatio *Est homo, ergò est animal*, non autem è contrà *Est animal, ergò est homo*. Quod infertur dicitur prius altero, sic *animal* est prior *homine*, ideóque dicitur antecedens; id ex quo infertur dicitur consequens, vt est *homo* in exemplo allato. Alia est prioritas naturæ, quæ est habitudo eorum inter se, quorum vnum per se determinat aliud ad existendum. Dubitatur hîc an duo possint ità se habere vt hoc determinet illud ad existendum, & vicissim determinetur ab illo.

Dico. Repugnat mutua naturæ prioritas seù mutua causalitas.

Prob. Repugnat, quòd causa operetur, vt sit: sed admissâ mutuâ causalitate

e. g.

v. g. inter A & B, causa operaretur vt sit; ergò repugnat mutua causalitas. Maior est euidens; causa enim operatur, quia est, operari namque sequitur ad esse, ac proindè semper supponit esse causam, à qua fiat operatio. Minor probatur; quia si esset mutua causalitas inter A & B, A operaretur vt esset B, & vt essent ea, quæ causarentur à B., iuxta illud *Causa causæ est causa causati*: sedinter ea, quæ causarentur à B esset A; ergo A operaretur vt esset A; ergò implicat mutua causalitas.

I. Ob. Materia est causa formæ, & forma materiæ; ergò datur inter ipsas mutua prioritas naturæ.

Resp. Quòd materia causet formam, verùm est, cum pateat ex dictis, quòd ad existentiam formæ materialis concurrit cum efficiente materiâ non vt pura conditio; sicuti in artificialibus concurrit materia artificialium e. g. lignum ad formam scamni non vt conditio, sed vt subiectum simul cùm artifice dans esse scamni figuræ: omnis autem concursus ad existentiam alterius vel est conditionis vel causæ, ac proindè concursus materiæ ad existentiam formæ materialis est concursus causæ. Concessâ igitur prima parte antecedentis, nego secundam partem; nam forma nec essentiam nec existentiam tribuit materiæ, sed composito vt

supe

superius dictum est.

II. Ob. Expulsio formæ præcedentis est causa introductionis nouæ, & introductio nouæ est causa expulsionis præcedentis; ingressus venti in cubiculum est causa aperitionis fenestræ, & aperitio fenestræ causa ingressus venti; ideò enim introducitur noua forma, quia expellitur præcedens & è contra; & ideò aperitur fenestra, quia ingreditur ventus & è contra: ergò datur mutua prioritas naturæ.

Resp. Nego antecedens. Ad illud ideò introducitur noua forma, quia expellitur vetus &c. concedo; per hoc tamen non rectè deducitur, quòd vna sit causa alterius, sed solùm, quòd sint connexæ expulsio formæ præcedentis & introductio nouæ, aperitio fenestræ & ingressus venti, sicuti cum dicitur ideò Petrus est homo quia est animal rationale, non deducitur ex hoc quod *animal rationale* sit causa hominis, sed solum, quod sit prædicatum connexum cum subiecto *homo*, quarè particulæ *ideò, quia*, & similes, non semper important rationem causæ, sed aliquando connotant conditionem, & aliquando connexionem.

III. Ob. Possunt duo dicere, ego nolo me mouere nisi quandò videro te moueri, & alter similiter, nolo me mouere

nisi

nisi quandò videro te moueri; in tali casu mutuò pendebūt isti motus vnus ab alio; ergò dabitur mutua causalitas.

Resp. Si vterque faciat, quod dixit, neuter vnquam mouebitur, atque ità non dabitur mutua causalitas.

IN TERTIVM

Aristotelis Librum de Physico Auditu.

DISPVTATIO I.

De Motu.

CVm natura, de qua hîc agitur, sit principium motus, ad rectè intelligendam naturam, motum quoque intelligere necesse est, quarè in hoc libro de motu sermonem habet Philosophus, quia ignorato motu & naturam ignorari necesse est.

QVÆSTIO VNICA

De natura & proprietatibus motus.

CVm dixerit Philosophus 2. Poster. & 7. Metaph. conuenientissimam viam ad inueniendas definitiones esse diuisionem, vt exactam motus definitionem assignet, aliquas hîc diuisiones præmittit.

mittit. Diuidit ergò primò ens, dicendo, quòd aliud est in actu; aliud in potentiâ, aliud verò medio modo se habens inter potentiam & actum perfectum. Quod est in potentiâ tantùm, nondum mouetur: e. g. cum aqua est tantum in potentiâ calida, nondum calesit. Quod est in actu perfecto, non mouetur, sed iam motum est: e. g. cum aqua iam est calefacta, terminatus est motus calefactionis. Quod verò medio modo se habet, cum sit partim in potentiâ & partim in actu, hoc mouetur: e. g. in motu alterationis aquæ, cum hæc aliquantulum calefieri cæpit, est partim in actu caloris, habet enim aliquem calorem, & partim in potẽtiâ ad vlteriorem, scilicet ad perfectum calorem, & proptereà dicitur tunc aqua imperfectè calida. Hinc intelligitur quomodò motus dicatur actus imperfectus: est actus, quia inest subiecto, quod est potentia; est imperfectus, quia connotat seù dicit ordinem ad actum vlteriorẽ; si enim paruus ille calor non diceret ordinem ad vlteriorem gradum caloris, non esset motus, sed terminus motus. His positis

Dico. Motus est actus entis in potentiâ, in quantum huiusmodi.

Probatur, & explicatur hæc motus definitio. Id, quo aliquid prius in potentiâ

tentiâ existens fit actu, est actus; sed aliquid fit actu, dum mouetur, cum prius esset in potentiâ; ergò motus est actus. Rursùs omnis actus eius verè est actus, in quo semper inuenitur: e. g. lumen est actus diaphani, quia semper inuenitur in diaphano: sed motus semper inuenitur in ente existente in potentiâ ad vlteriorem actum; ergò est actus entis existentis in potentiâ. Denique per particulam in *quantum huiusmodi* significatur, quòd licèt mobile idem, quod est in potentiâ, sit etiam in aliquo actu: e g. aqua quæ est in potentiâ ad calorem est actu aqua; tamen motus non conuenit subiecto vt in actu est, sed vt in potentiâ est ad vlteriorem terminum; sic aqua mouetur ad calorem, non quia est actu aqua, sed quia quæ actu est aqua, est in potentiâ ad calorem vlteriorem.

Ex dictis colligitur, motum propriè talem esse, & successiuum, & continuum. Est successiuus, quia est actus subiecti, quod adhuc tendit ad vlteriorem actum. Est continuus, quia si ponatur actus in subiecto sinè continuatione, sed per instantia interpolata mediante aliqua quiete, iam subiectum recipiens actum non tendit ad vlteriorem actum, quod requiritur ad motum; quarè meritò Aristoteles ait, motum esse de genere continuo-

rum

rum; ac propterea mutationes instantaneæ, vt generatio formæ substantialis, quæ tota simul producitur; lumen quod totum simul producitur in aere; visio, intellectio, & similia, quæ dicuntur motus instantanei, sunt motus tantùm improprij; similitudinarij, & latè sumpti, non verò propriè tales, ipsis enim verè allata motus definitio non competit.

Genera motus propriè sumpti tria sunt, scilicet ad quantitatem, qualitatem, & vbi, quia hæc tria tantum successiuè possunt acquiri, vt patebit consideranti reliqua prædicamenta; substantia enim in instanti producitur, reliquorum verò res prædicamentorum, cum propriam entitatem non habeant, nec etiam habent propriam producibilitatem; nec etiam, vt ait Aristoteles, datur motus ad motum, quia daretur processus in infinitum.

I. Ob. Omnes calefactiones siuè instantaneæ, siue successiuæ sunt eiusdem speciei; ergò vel omnes sunt motus, vel nullæ.

Resp. Distinguo antecedens; sunt eiusdem speciei in ratione termini seù qualitatis, quæ acquiritur, concedo; in ratione tendentiæ ad vlteriorem qualitatem, nego; successiua enim tendentia, cum dicat terminum vlteriorem, differt essentialiter ab istantaneâ, quæ vlteriorem ter-

mi-

minum non respicit.

II. Ob. Potentiæ infinitæ respondere debet effectus possibilis proportionatus: sed potentia motrix est in Deo infinita; ergò debet ipsi respondere possibilis motus infinitè velox, ac proindè instantaneus. Cofirmatur; quia Angeli & corpora gloriosa mouentur in instanti, & tamen ipsorum motus est verè motus localis.

Resp. Distinguo maiorem; debet respondere effectus possibilis proportionatus proportione geometrica, concedo; arithmetica, nego: etiam potentia Dei productiua muscæ est infinita, & tamen non est possibilis musca infinitè perfecta, sed tantùm musca perfectior & perfectior; ità satis est quod sit possibilis motus velocior & velocior, non autem infinitè velox seù instantaneus, quia iste est chymericus, non enim esset motus, cum successione careret. Ad cofirmationē dico, motum Angelorum & beatorum dicī instantaneum, non quia fit in istanti indiuisibili, sed quia fit breuissimo tempore.

Pro complemento quæstionis notetur, quòd motuum localium alij sunt per se, & alij per accidens. Motus per se est, cum res proprio motu mouetur. Per accidens verò, cum res mouetur tantùm ad motum alterius: e. g. qui in naui quiescit mouetur

uetur per accidens, quia mouetur ad motum nauis.

Rursus alij sunt motus locales recti, cum scilicet mobile fertur per lineam rectam; alij obliqui, scilicet cum fertur per lineam transuersam; & alij circulares, scilicet cum mobile fertur circà aliquod centrum.

Deniquè motus localis alius est naturalis, alius præternaturalis, alius violentus. Naturalis est, qui fit ex principio innato, seu extrinseco non repugnante passo, vt est motus grauium deorsùm, leui ũ sursùm, & motus progressiuus in viuentibus. Præternaturalis est, qui est à principio extrinseco illum non exigente, nec renitente passo, sed indifferenter se habente, vt est motus Cæli. Violentus est, qui fit à principio extrinseco renitente passo, vt motus grauium sursùm.

DISPVTATIO II.

De Infinito

QVÆSTIO VNICA

Vtrùm possibile sit infinitum actu creatum.

COnsiderans Philosophus quòd magnitudo, motus, & tempus, de quibus

quibus naturalis agit scientia, necesse est, vt vel finita sint, vel infinita, conueniens putauit hîc agere de infinito, de quo cap. 3. tex. 34. dicit esse *Quod impossibile est transire*, seù *transitum habens inconsumabilem* & cap. 6. tex. 63. *Infinitum id est cuius secundùm quantitatem accipientibus semper aliquid accipere extrà est*, quæ definitiones coincidunt cum illâ, quam afferunt aliqui, *Infinitum est, cuius finis non est*.

Diuiditur autem infinitum in id, quod est infinitum actu, & in id, quod est infinitum potentiâ. Actu est, quod secundùm ea, quæ actu continet, finem non habet; sic Deus est actu infinitus, quia secundùm perfectiones, quas actu continet, non habet finem. Potentiâ infinitum est, cuius quidquid actu est, finitum est, quod verò potentiâ impertransibile est, hoc infinitum syncategorematicum solet appellari, in quo dicuntur esse finita in infinitum, seù non tot quin plura, & medium tenet locum inter finitum simpliciter, & infinitum simpliciter, quod categorematicum appellatur, quia participat de vtroque; de finito quidem, quatenùs quidquid actu habet, determinatum & finitum est, de infinito verò simpliciter, quia quod habet in potentiâ, transitum habet inconsumabilem.

Dari infinitum potentiâ clarum est; nam productâ quauis magnitudine potest ipsi addi palmus, producto quolibet numero potest addi vnitas, imò inter vnitatem & binarium sunt infiniti numeri potentiâ, si enim accipiatur hæc minutiarum series 1 $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{8}$ $\frac{1}{16}$ &c. numquam deuenietur ad binarium; tota ergò controuersia reducitur ad hoc, an dari possit infinitum actu creatum, de increato enim sanus nemo dubitare potest quod existat.

Dico. Impossibile est infinitum actu creatum in quolibet genere.

I. Probatur esse impossibile infinitum actu in numero. Implicat in terminis partem esse æqualem toti: sed admisso numero actu infinito, pars esset æqualis toti; ergò implicat numerus actu infinitus. Minor probatur; detur infinitus numerus, continebit infinitos binarios, quorum partes sunt vnitates, ex quibus conflātur; sed erunt infinitæ etiam vnitates; ergò vnitates erunt æquales binarijs. Consequētia patet; nam ex Euclide æqualia sunt quæ sibi mutuò congruunt: sed vnitates in eo casu congruunt binarijs, cum sint infinitæ; ergò.

Rursùs implicat numerus omnium maximus: sed numerus actu infinitus esset omnium maximus, cùm infinito maius

exco-

excogitari non possit; ergò implicat. Minor probatur; quia detur infinitus numerus hominum, singuli duos habebunt oculos, ideòque numerus oculorum erit duplus numeri hominum; sed omne duplum est maius subduplo; ergò numerus oculorum erit maior numero hominum; ergò numerus hominum nõ erit omnium maximus, & simul ex hypotesi erit omnium maximus; ergò implicat numerus infinitus.

II. Probatur, quòd repugnet infinitũ in mole, seù magnitudine. Quia implicat infinita distantia duobus terminis clausa: sed admissâ magnitudine infinitâ id sequitur; ergò implicat. Minor probatur; quia à quolibet puncto magnitudinis duci possunt duæ lineæ rectæ, quæ quò magis ab illo puncto recedunt, eò magis distant inter se; ergò à quolibet puncto magnitudinis infinitæ duci poterunt in infinitum duæ lineæ, quæ cum recedant infinitè à puncto, distabunt infinitè inter se; ergò dabitur distantia infinita duobus terminis clausa; hoc implicat in terminis; ergò &c. Rursùs ex Euclide omnis pars si est aliquota sæpius repetita totũ adæquat, vt 2. sæpius repetitum adæquat 8. si est aliquanta sæpius repetita totum excedit, vt 3. quinquies repetitum excedit 10. sed palmi magnitudinis infinitæ sæpius repe-

titi nec adæquarent, nec excederent totum; ergò non essent illius partes: sed simul essent partes; quia pars est, quæ simul cum aliâ constituit intrinsecè totum, quod vtique præstant palmi in quauis magnitudine; ergò essent & non essent illius partes.

III. Probatur, quòd repugnet infinitum actu creatum in perfectione, seù creatura omnium possibilium perfectissima. Quia quælibet creatura infinitè distat à Deo; ergò inter ipsam & Deum est semper possibilis alia & alia creatura, quæ de diuinâ perfectione participet: sed si dari posset creatura omnium possibilium perfectissima, inter ipsam & Deum non esset possibilis alia, quæ de diuina bonitate participaret; ergò est impossibilis talis creatura. Confirmatur; quia possibilitas dicit participabilitatem Dei; ergò posita omni possibilitate, seù creaturâ omniũ possibilium perfectissimâ, nulla esset amplius Dei participabilitas. Consequentia probatur; quia si creatura esset vbique, non posset vlterius immensitas Dei ab ipsâ participari: si esset semper, non posset vlterius participari æternitas; si omnia sciret, non posset vlterius participari sapientia; si omnia posset, non posset vlterius participari omnipotentia; ergò si esset infinitè perfecta, non posset

vlterius

vlterius participari infinita Dei perfe-ctio. Nec dicat aduersarius, superesse Deo independentiam, quia Deus in ratione independentiæ non est participabilis; ergò si participetur in alijs rationibus infinitè, participatur quantum participabilis est; ergò non esset amplius participabilis.

I. Ob. Cum Arriaga. Tota collectio creaturarum possibilium distat infinitè à Deo; ergò posset adhuc vlterius diuina perfectio participari; ergò præter collectionē illam esset aliqua creatura possibilis: sed implicat extrà totam collectionē possibiliū esse possibilem aliam creaturā; ergò implicat diuinā perfectionē posse vlterius participari. Rursùs in totâ collectione creaturarum possibilium aliqua est, quæ excedit cæteras, & non exceditur; ergo est perfectissima. Insuper cognoscitur à Deo creatura perfectior homine, quæ sit A, item perfectior A, quæ sit B, & sic in infinitum; ergo cognoscitur perfectissima. Denique Deus producere potest creaturam perfectissimam, quam potest producere.

Resp. Ad prima duo capita obiectionis, nego suppositum; nam supponitur, quòd possibilia possint accipi collectiuè, quod est falsum; implicat enim, quòd post quamlibet imaginabilem multitudinem

non

non sit possibilis alia & alia multitudo in infinitum, cum omnis multitudo imaginabilis infinitè distet à Deo, ac proindè sit Deus vlterius adhuc in infinitum participabilis: si autem accipi possent collectiuè omnes creaturæ possibiles, iam vltrà illam collectionem aliæ non essent possibiles, & ità non esset Deus vlterius participabilis. Ad tertiũ, nego consequẽtiã; quia nequit cognosci possibile à Deo id, quod est chymera, vt esset creatura omnium possibilium perfectissima. Ad quartum dico, nullam esse possibilem perfectissimam, atque adeò perfectissimam nullam potest producere.

II. Ob. Hæc propositio *Creatura est infinita* non inuoluit contradictionem, in ipsâ enim non est affirmatio & negatio de eodem: ergò est possibilis creatura infinita. Antecedens probatur; quia non inuoluit ex parte entis, cum ratio infiniti reperiatur in ente diuino: non inuoluit ex parte producti ab alio, cum etiam Filius æternus sit à Patre, & tamen est infinitus; ergò nullo modo inuoluit contradictionẽ.

Resp. Distinguo antecedens: non inuoluit formaliter, concedo; consequenter, nego: ad probationem dico, inuoluere contradictionem ex parte entis producti ex nihilo sui; quænam sit hæc contradictio iam patuit suprà.

III. Ob.

III. Ob. Deus est infinitè bonus; ergò est infinitè sui communicatiuus, non tantùm ad intra, sed etiam ad extra: sed si non posset produci infinitum actu, non esset infinitè sui communicatiuus ad extra; ergò potest produci. Cõfirmatur I. quia Dei potentia est actu infinita; ergò potest producere infinitum actu, alioquin non posset attingere effectum sibi proportionatum. Confirmatur II. quia potest Deus facere actu quidquid potest facere; sed potest in hoc instanti producere actu omne possibile, quod potest producere actu in hoc istanti; ergò potest producere infinitum actu. Confirmatur III. quia si Deus operaretur ex necessitate, produceret infinitum actu; ergò potest etiam producere nunc operans liberè.

Resp. Concesso antecedenti distinguo consequentiã; est infinitè sui communicatiuus formaliter, scilicet dando se ipsum, vt se dedit humanitati Christi, concedo; efficienter, nego. Ad I. confirmationem, concedo ãtecedens, & nego cõsequentiã; quia ad impossibile, quale est infinitum actu, non datur potentia; effectus autem proportionatus causæ infinitę est, vt possit omnia producere numquam deueniendo ad finem, scilicet vt possit producere infinita syncategorematicè. Ad II. confirmationem distinguo minorem; potest in

hoc instanti producere omne possibile distributiuè, ideſt nullum eſt ex possibilibus, de quo non ſit verum, in hoc instanti poſſe produci à Deo, concedo; collectiuè, nego. Ad III. confirmationem dico, quòd ſi Deus operaretur, ſeù produceret creaturas ex necesſitate, non eſſet Deus ſed chymera, atque adeò nihil produceret.

IV. Ob. Deus cognoſcit creaturas possibiles, non alias poſt alias, ſed omnes ſimul, ergò ſunt ſimul collectiuè ſub cognitione diuinâ; ergò poſſunt omnes ſimul collectiuè produci.

Reſp. Diſtinguo conſequentiã; ſunt ſimul actualitate cognitionis & obiecti, concedo; ſimul actualitate exiſtentiæ possibilis, nego; ſicuti ergò nunc cognoſcit Deus omnia inſtantia diei craſtinæ, & hæc in eius cognitione ſunt ſimul, ideſt vno & eodem inſtanti eſt cognitio omnium & ſunt obiectum diuinæ cognitionis, nec tamen poſſunt produci, & exiſtere ſimul omnia; ità, licèt vnico actu cognoſcat ſimul omnia possibilia, non tamen ſunt possibilia exiſtere ſimul; quarè quæ ſimul & vnico actu cognoſcit Deus, non propterea cognoſcit poſſe exiſtere ſimul & collectiuè, ſed ſolùm diſtributiuè.

V. Ob. Sunt possibiles infiniti actu

homi-

homines; ergò est possibile infinitum actu. Antecedens probatur; quia quotiescumque plura sunt singillatim possibilia, & vnum alteri non repugnat, possunt omnia produci simul, vt patet de decem, viginti, & pluribus hominibus: sed omnes homines possibiles sunt huiusmodi; ergò sunt possibiles actu omnes simul. Confirmatur; quia valet argumentari à distributiuo ad collectiuum; hic est rationalis, ille est rationalis, & alter est rationalis; ergò omnes simul sunt rationales; ergò etiam valebit hic homo est possibilis cum alio, hic alius est possibilis cum alio, & singuli sunt possibiles cum alijs; ergo omnes sunt actu simul possibiles.

Resp. Nego antecedens: ad probationem distinguo; possunt omnia produci simul, si ly omnia supponat distributiuè, concedo; si supponat collectiuè, nego: si enim supponat collectiuè, est quid impossibile, atque adeò est de subiecto non supponente. Ad confirmationem, nego, quòd vi formæ valeat argumentari à distributiuo ad collectiuum; est enim omnino falsum, hæc pars montis est parua, hæc alia est parua; ergò totus mons est paruus; hic homo est vnus, hic alius est vnus; ergò omnes sunt vnus; quarè si quandò valet, id fit vi materiæ tantùm;

ſed quidquid hoc ſit, tranſeat totum antecedens, & diſtinguo conſequentiam; omnes collectiuè ſunt actu poſſibiles, nego: diſtributiuè, concedo.

Inſtabis. Ergò poſſet Deus facere tantùm homines finitos.

Reſp. Nego conſequentiã, quia poteſt facere finitos in infinitum, ſcilicet numquam deueniendo ad finem, non autem finitos ideſt numerum tantùm finitum.

VI. Ob. Numerus maior omni finito eſt infinitus: ſed eſt poſſibilis numerus maior omni finito; ergò eſt poſſibilis numerus infinitus.

Reſp. Nego maiorem. Senſus enim propoſitionis eſt, quòd dato quolibet numero finito maior eſt alius, qui tamen non eſt infinitus ſed finitus, cum vltrà quemlibet, qui aſſignetur, aſſignabilis ſit alius; ſed quicumque aſſignatus erit, ſemper finitus erit.

Inſtabis. Creaturæ poſſibiles conſtituunt numerum, non finitum; ergò infinitum.

Reſp. Conſtituere numerum infinitum potentiâ, ſeù ſyncategorematicè.

IN QVARTVM
Aristotelis Librum de Physico
Auditu.

DISPVTATIO I.

De Loco.

CVm motus naturam declarasset Philosophus, quia inter omnes motus primus dignitate censetur localis, vtpote qui minus immutat mobile, quia ipsum non intrinsecè sed extrinsecè tantùm mutat, adhoc vt cognosceretur perfectè huius natura, de loco hîc agere instituit.

QVÆSTIO I.
Quid sit locus.

I. PRænotandum est ad clariorem loci intelligentiam, id quod prænotauit Aristoteles hîc cap. 3. tex. 23. scilicet quòd octo modis aliquid esse potest in alio. Primo vt pars in toto, e. g. digitus in manu. Secundo vt totum in partibus, vt homo in animâ rationali & materiâ vnitis. Tertio, vt species in genere, e. g. homo in animali. Quarto, vt genus in specie, e. g. animal in homine. Quinto, vt forma in subiecto, e. g. anima in cor-

pore, albedo in pariete. Sexto, vt effectus in causâ: e. g. quod fit à me, erat in me, seù in potestate meâ. Septimo aliquid est in aliquo vt in fine, e. g. cor amantis est in amato. Octauo, vt locatum in loco, vt Petrus est in schola.

II. Prænotandum est, esse quasi principia per se nota quædam, quæ videntur per se inesse loco, & sunt quatuor. Primò quòd locus contineat id cuius est locus, ità vt non sit aliquid locati, sed quid extrà ipsum locatum. Secundò quòd primus & immediatus locus, idest ille, in quo corpus primò est, æqualis sit, non autem maior, aut minor locato. Tertiò quòd locus non deficit locato, scilicet quòd si vnum amittat locum, acquirit alium. Quartò quòd in omni loco grauium & leuium inuenitur quædam differentia loci sursùm & deorsùm, & quodlibet graue vel leue, cum est extrà proprium locum, fertur ad ipsum, & cum est in eo, naturaliter manet, & quiescit in ipso.

III. Prænotandum, quòd sicuti in definienda quidditatiuè qualibet re, ità in definiendo loco, quatuor debent attendi. Primò vt ostendatur quid sit locus, quia definitio est oratio explicans quid res sit. Secundò vt soluantur quæcumque opponuntur circà locum, nam cognitio veri-

tatis

tatis est dubiorum solutio. Tertio vt ex assignatâ definitione manifestentur propietates loci: definitio enim est medium, quo proprietates de subiecto demonstrantur. Quarto vt ex definitione loci fiat manifesta causa, cur aliqui circà locum errarunt. His prænotatis

Dico. Locus est superficies prima corporis continentis immobilis.

Prob. Per id optimè definitur locus, per quod satisfit interroganti vbi res sit? Sed per huiusmodi definitionem hoc habetur; ergò &c. Minor probatur; quia interroganti vbi res est? respondemus adæquatè assignando primam superficiem ambientis immobilem; ergò &c. Antecedens probatur; quia interroganti, e: g. vbi est Petrus? respondetur per id, in quo primò & immediatè est: e. g. est in domo, non quidem in tota domo, sed in hac, aut illâ determinatâ parte domus, quæ est æqualis Petro: sed id, in quo primò est Petrus, & quod est æquale Petro, est sola superficies prima ambientis; ergò interroganti vbi est Petrus? respondetur per primam superficiem ambientis. Similiter non satisfit interroganti vbi est? si dicatur est in curru, aut in equo, quia hæc sunt mobilia, benè tamen si respondeatur, est in domo, est in vrbe, quia hæc immobilia sunt; ergò per superficiem

ciem primam corporis ambientis immobilem satisfit interroganti vbi res est? ergò per id optimè definitur locus.

Circà immobilitatem superficiei aduertite, non requiri vt sit eadem in se inuariata superficies, sed satis esse si sit eadem moraliter secundùm easdem differentias distantiæ & propinquitatis respectu locati, & punctorum vel realiter, vel imaginariè fixorum: e. g. flante vento mutatur circà turrim superficies aeris; sed quia superficies noui aeris succedentis est moraliter eadem, quia seruat eandem propinquitatem ad turrim, & eandem distantiam à punctis fixis, seù vltimæ sphæræ, seù spatij imaginarij, quod est supra vltimam sphæram, quam habebat aer præcedens, propterea turris dicitur esse in eodem loco immobili, vbi erat priùs.

Ob. Si locus esset aliquid, esset corpus, & ità deberet habere locum, dareturque locus loci, & sic processus in infinitum.

Resp. Locum non esse corpus, sed superficiem corporis, quæ est in corpore, cuius est superficies, non vt locatum in loco, sed vt terminus ipsius corporis, quod licèt etiam ipsum sit in loco, & ità aliud & aliud non datur processus in infinitum, quia deuenitur tandem ad vltimam

mam sphæram, quæ ab alio loco non continetur.

Ex his manifestè constat errasse antiquos, quorum aliqui dixêre, locum esse materiam, alij formam, cum contingat curpus, non mutatâ materiâ & formâ, mutare locum, quem propterea per allatam definitionem constat esse quid extrin secum locato, cum tamen materia & forma sint intrinseca corpori, cuius sunt constitutiua.

Diuiditur locus in proprium, & communem. Proprius est superficies immediatè circumscribens locatum. Communis est, qui mediatè tantùm rem continet: e. g. dum Petrus dicitur esse in schola, reliquum scholæ, preter superficiem immediatè ipsum ambientem, est locus communis Petri, & idem est cum dicitur est in Ciuitate, in Europa &c.

Quæres. An vltima sphæra sit in loco?

Resp. Non esse in loco physico extrinseco & reali, quia non habet superficiem, qua contineatur. Dici tamen potest esse metaphysicè & imaginariè in loco, quatenùs possumus suprà ipsam imaginari puncta fixa, à quibus distet, & quibus propinqua sit vltima sphæra.

QVÆSTIO II.

Vtrùm præter locum extrinsecum detur etiam locus intrinsecus.

NOmine loci intrinseci intelligitur aliquid, per quod corpus locatum constituatur in loco, quod aliquid est veluti accidentalis vnio locati cum loco.

Dico. Præter locum extrinsecum admittenda est vbicatio distincta à loco & locato, per quam locatum est formaliter in loco.

Probatur. Quia locatum, e. g. Petrus, est in loco formaliter non per hoc, quod sint Petrus & locus; ergò est in loco per aliquid ab ipso, & loco distinctum. Antecedens probatur; quia datur de facto Petrus & hic locus, & tamen Petrus non est in hoc loco; ergò Petrus est in loco per aliquid ab ipso & à loco distinctum, quod vocamus vbi intrinsecum, seù modalem entitatem, per quam Petrus ad hunc locum ità determinatur, vt sit impossibile ipsam esse & Petrum non esse in hoc loco; sicuti de vnione diximus esse impossibile, vt ipsa sit & partes per ipsam non sint vnitæ.

I. Ob. Supposito quòd Petrus non distet ab hoc loco, & non detur illa vbicatio superaddita, adhuc Petrus erit in hoc loco; ergò non datur vbicatio super-

addita

additâ. Confirmatur; quia si per diuinam omnipotentiam, auferatur ille modus vbicationis, res manebit in eodem loco, vbi erat priùs, ergò non est in loco per vbicationem distinctam.

Resp. Nego suppositum, implicat enim in terminis, quod Petrus sit præsens huic loco sinè vbicatióne superaddita; ipsa enim formalis præsentia non est Petrus neque locus extrinsecus, sed id quo Petrus non distat à loco extrinseco, idest ipsamet vbicatio; quarè supponere præsentiam sinè vbicatione, est supponere præsentiam sinè præsentiâ. Hinc patet ad confirmationem, non posse fingi, quod res maneat in eodem loco, si auferatur talis vbicatio; nam eo ipso aufertur formalis præsentia locati ad talem locum, quod est idem ac mutare locum.

II. Ob. Vt res sit formaliter in loco, sufficit, vt existat simul cum loco sinè vbicatione superadditâ, vel saltem vt per motum ponatur in tali loco; ergò necessaria non est vbicatio superaddita.

Resp. Nego suppositum, quòd res existat simul cum loco sinè vbicatione superaddita; nàm *simul* vel significat Petrum & hunc locum tantùm, vel aliquid plus: si primum; ergò quotiescumque detur Petrus & hic locus, Petrus erit simul cum hoc loco, quod est falsum;

ergò

ergò significat aliquid plus, quàm Petrum & hunc locum, ac proindè implicat quod sit simul cum hoc loco, & non detur vbicatio superaddita, quia hic *simul* nihil aliud dicit quàm talem vbicationem. Nec per motum saluatur talis vbicatio, quia motus est id, per quod acquiritur vbicatio, atque adeò est antecedens vt ratio formalis, qua mobile tendit ad locum, non autem est ratio formalis, qua mobile est in loco.

QVÆSTIO III.

Vtrùm repugnet idem corpus esse simul in pluribus locis, aut plura corpora esse in eodem loco.

NAturaliter plura corpora in eodem loco non posse simul esse experientia demonstrat, cùm non possit poni manus vbi est liber, nisi remoueatur liber, & sic de cæteris. Supernaturaliter verò posse plura corpora penetrari in eodem loco possibile est, imò de facto euenisse, cùm Christus Dominus ianuis clausis ingressus est ad Apostolos, docent Philosophi Catholici, diuinæ enim omnipotentiæ concedendum est, quidquid contradictionem non inuoluit. Nullam autem inuoluit contradictionem, quòd plura corpora eodem in loco penetrentur.

Est etiam certum naturaliter non posse

ſe idem corpus ſiuè definitiuè ſiuè circumſcriptiuè eſſe ſimul in pluribus locis. Pro huius rei intelligentiâ notate, quòd eſſe definitiuè in loco, eſt eſſe totum in toto loco & totum in ſingulis partibus loci, vt eſt corpus Chriſti in totâ hoſtiâ conſecratâ, & in ſingulis eius partibus; eſſe circumſcriptiuè eſt eſſe totum in toto loco, & partes ſingulas in ſingulis partibus loci, ſic naturaliter exiſtunt omnia corpora. Quòd verò per diuinam potentiam poſſit idem corpus eſſe definitiuè in vno vel pluribus locis, & circumſcriptiuè in alio loco, indubitatum eſt apud Catholicos, qui fatentur & venerantur Corpus Chriſti definitiuè in pluribus locis ſeù hoſtijs conſecratis, & circumſcriptiuè in Cælis Tota ergo controuerſia reducitur ad hoc, an idem corpus, eſſe ſimul in pluribus locis circumſcriptiuè, ſit poſſibile.

Dico. Poſſibile eſt idem corpus eſſe ſimul circumſcriptiuè in pluribus locis.

Prob. Poſſibile eſt, quod poſitum non inuoluit contradictionem: ſed corpus eſſe ſimul circumſcriptiuè in pluribus locis, e. g. Romæ & Florentiæ, non inuoluit cōtractionem; ergò eſt poſſibile. Minor probatur; quia contradictio non eſt eſſe Romæ & Florentiæ, cùm vtraque ſit affirmatio, ſed eſſe Romæ, ſimulque non

eſſe

esse Romæ, esse Florentiæ simulque non esse Florentiæ: sed hoc non sequitur posito simul corpore circumscriptiuè in duplici loco; ergò non sequitur contradictio. Minor est manifesta; quia qui dicit corpus esse simul circumscriptiuè Romæ & Florentiæ, nullo modo negat esse simul, aut Romæ aut Florentiæ; ergò &c.

II. Prob. Quia plus est idem corpus esse simul definitiuè in pluribus locis, quàm esse circumscriptiuè, ergò si potest esse definitiuè, potest etiam circumscriptiuè. Antecedens probatur; quia vt corpus sit definitiuè simul in pluribus locis duo requiruntur miracula, vnum scilicet quòd corpus idem sit simul in pluribus locis, aliud quòd vbicetur definitiuè; at ad hoc vt sit simul in pluribus locis circumscriptiuè vnum tantum requiritur miraculum, scilicet vt sit in pluribus locis; ergò &c.

I. Ob. Circumscribi loco est loco comprehendi; ergò est ità corpus esse in loco, vt nihil ipsius sit extrà illum locum; ergò quod est circumscriptiuè in vno loco nequit esse cicumscriptiuè alibi.

Resp. Concedo antecedens, & nego conquentiā; nam si quid probaret argumentum, probaret, quòd Christus existens circumscriptiuè in Cælo non esset totus sub speciebus consecratis; quòd si concedit aduersarius, quòd licèt Christus

cir-

circumscriptiuè sit in Cælo, tamen est etiam totus sub speciebus consecratis, non erit verum, quòd circumscribi loco sit nihil corporis esse alibi. Ad hoc ergò vt res circumscribatur loco, satis est, vt tota sit intrà illum locum, non verò requiritur vt non sit alibi.

II. Ob. Corpus replicatum esset diuisum à se ipso, diuisum est enim corpus existens Florentiæ à corpore, quod est Romæ. Rursùs posset Romæ applicari ad ignem, & sic calefieri, Florentiæ immergi aquis, & sic frigefieri.

Resp. Distinguo antecedens; esset diuisum extrinsecè, scilicet quoad locum, concedo; intriusecè quoad entitadem, nego: corpus non replicatum, quod est Florentiæ, est quidem diuisum intrinsecè ab eo quod est Romæ; at corpus replicatum est idem Romæ & Florentiæ, ac proindè intrinsecè non est à se diuisum, sed diuisa sunt tantum loca, in quibus idem reperitur. Ad secundum, admissa hypotesi, sequeretur idem, quod sequeretur, si in eodem loco simul ignis & aqua corpori applicarentur; reciperet enim qualitatem illius, quod preualeret.

Instabis; ergò si præualeret ignis Romæ applicatus, calefaceret corpus quod est Florentiæ, & sic daretur actio in distans,

Resp.

Resp. Concedo, quòd calefaceret Romæ corpus, quod est Florentiæ, sed non daretur actio in distans, quia tale corpus cum esset etiam Romæ, non distaret ab igne romano. Idem dic, si vulneraretur Romæ & non Florentiæ, & de similibus, licèt enim actio vulnerandi exerceretur Romæ & non Florentiæ, tamen vulnus inflictū esset in corpore tam Romæ quàm Florentiæ, quia est idem corpus.

III. Ob. Non potest falsificari principium per se notum: sed si possibilis esset replicatio corporum, falsificaretur; ergò &c. Minor probatur; quia est principium per se notum, quæ sunt in locis distinctis, sunt distincta: sed hoc falsificaretur; ergò &c.

Resp. Retorqueo argumentum. Est æquè per se notum, quòd vbi sunt accidentia propria panis, est substantia panis, vbi sunt accidentia propria vini, est substantia vini, & tamen in Eucharistia non habet locum. Est æquè per se notum, quòd vnicus locus non indicat nisi vnum corpus, & tamen in sententia aduersariorum, qui admittunt plura corpora posse simul vno in loco penetrari, non verificatur illud principium. In formâ distinguo maiorem; non potest falsificari principium metaphysicum, concedo; physicum, nego: principium autem allatum est non e

phy-

physicum, non verò metaphysicum. Addite, quòd in replicatione non verificatur aliqua esse in locis distinctis, sed aliquid esse in locis distinctis.

IV. Ob. Si Petrus esset simul Romæ & Florentiæ, posset Romæ sedere & Florentiæ ambulare; posset Româ venire Florentiam, & Florentiâ petere Romam, & sic occurrere sibi ipsi; ergò &c.

Resp. In nullo istorum reperiri contradictionem, atque adeò non rectè deduci esse impossibilia; quandò autem sibi ipsi occurreret Petrus, nihil aliud fieret, nisi quòd haberet intrà idem spatiũ duas vbicationes, alteram naturalem, alteram miraculosam; & quòd vi vnius respiceret orientem, vi alterius respiceret occidentem; non tamen posset dici penetratus cum se ipso, quia penetratio dicit duo, Petrus autem esset vnus.

V & vltimò Ob. Sequeretur quòd vnus homo posset replicari in mille locis, & sic æquiualere mille hominibus; posset in vno loco amare Deum, in alio odisse. Rursùs posset vna candela replicari in toto Mundo, & ità illuminare totum Mundum.

Resp. Distinguo antecedens; posset æquiualere extrinsecè, scilicet quoad replendum locum, concedo; intrinsecè, nego: nam intrinsecè etiam in mille lo-

cis esset vnus, & haberet solas vires vnius. Amor & odium eiusdem in eadem voluntate pro eodem instanti pugnant simul, & nihil facit locus ad hæc, quia non exercentur in ordine ad locum; ac proindè non posset simul amare & odisse Deum. Ad illud de candela, concedo; ad hoc enim vt lumen illuminet plura corpora, satis est, si fiat præsens illis; quarè si per replicationem fiat præsens toti Mundo, nullum est inconueniens quòd totum illuminet Mundum.

DISPVTATIO II.

De Tempore.

VAcuum superiùs examinauimus, ac proindè temporis naturam hîc inquirere placet.

QVÆSTIO VNICA

Vtrùm præter tempus extrinsecum, sit admittendum etiam intrinsecum.

ARistoteles hîc tex. 101. definit tempus sic; *Est numerus motus secundùm prius, & posterius.* Cuius definitionis rationem reddit, quia id, quo iudicamus aliquid plus & minus, est numerus eius: sed tempore iudicamus motum plurem & mino-

minorem ; ergò tempus est numerus motus. Numerus autem dupliciter dicitur, scilicet numerus numeratus, & numerus numerans. Primus est numerus rerum à parte rei, vt decem homines, decem partes motus. Secundus est numerus, quo numeramus, scilicet numerus absolutè acceptus & abstractus à rebus, vt duo, tria, quatuor, &c. Tempus autem est numerus numeratus, non autem numerus numerans, quia est numerus prioris & posterioris in ipso motu ; quarè, sicut motus est quid reale, indubitatum pariter est tempus esse quid reale, non autem purè intentionale, vt quidam dixerunt. Quòd autem tempus sit id, quo iudicamus motum plurem & minorem, patet ; nam eadem mensura vni motui pluries applicatur quàm alteri : e. g. mensura diurna pluries applicatur mensi quàm hebdomadæ, pluries anno quàm mensi.

Et quoniam hæc mensura debet esse notissima, meritò ponitur communiter in circulatione primi mobilis ; quæ regulatissima est, & in orbe toto notissima. Primum enim in vnoquoque genere mensura est cæterorum ; à qua opinione parum vel nihil distat eorum sententia, qui circulationem Solis volunt esse huiusmodi mensuram ; nam & hi conueniunt cum

alijs in assignanda mensura regulatissima & notissima. Ex his patet, tempus esse mensuram rebus extrinsecam, sicut est extrinseca panno mensura, qua ipsum metimur. Superest examinanda difficultas, an præter hanc mensuram seù tempus extrinsecum, detur aliud tempus intrinsecum, scilicet aliqua modalis entitas distincta à re durante & tempore extrinseco, per quam res hoc vel illo tempore formaliter duret, vt diximus dari præter locum extrinsecum etiam intrinsecum.

Dico. Præter tempus extrinsecum & rem, datur tempus intrinsecum seù duratio superaddita.

Probatur. Quia intelligi potest res & tempus extrinsecum, absque eo quod res intelligatur tali tempore durare; ergò, vt intelligatur durare tali tempore, aliquid plus, quàm res & tempus extrinsecum, requiritur. Antecedens probatur; quia de facto intelligo Antichristi existentiam & diem hodiernam, & tamen per hoc non intelligo talem existentiam durare die hodiernâ; ergò, vt intelligatur durare die hodiernâ, requiritur aliquid superadditum, quod vocamus tempus intrinsecum.

Ob. Non potest intelligi existere tempus extrinsecum & res, quin intelligatur

tur res coexistere tali tempore; ergò nihil requiritur superadditum.

Resp. Nego antecedens; nam existentia rei est indifferens vt coniungatur cum tempore hodierno vel crastino, & quælibet res, quæ est indifferens vt coniungatur cum aliâ, potest intelligi, imò esse sine illâ, atque adeò vt res duret potius hodie quàm cras, requiritur aliquid, rei & tempori extrinseco superadditum.

Instabis. Per hoc præcisè quod existat, durat nunc; ergò non requiritur aliquid superadditum.

Resp. Distinguo antecedens; durat nunc ratione rei significatæ præcisè, nego; ratione rei consignificatæ, concedo; dum dicitur, e. g. Petrus existit, per ly *existit* significatur non modo existentia Petri, & tempus extrinsecum, sed forma per quam hoc tempore potius quàm alio existit.

Pro complemento quæstionis sciẽdum est, quòd tàm vbicationis intrinsecæ quã durationis huiusmodi principium productiuum est ipsamet res, quæ per ipsam vbicatur, & quæ durat, quæ proinde prior est naturâ non autem tempore suâ vbicatione & duratione intrinsecâ.

Porrò duratio alia est, quæ principio & fine caret, vt est duratio Dei, & est æternitas definita à Boetio *Interminabilis*

vita tota simul & perfecta possessio. Alia, quæ habet principium sed non finem, vt duratio Angeli & Animæ rationalis, diciturque æuum, seu æuiternitas. Alia est principium & finem habens continua & successiua, cuius scilicet partes non existunt nisi in continuo fluxu, nec uniuntur nisi vnione fluenti, non autem permanenti, quarum aliquæ comparatæ ad instans præsens dicuntur præteritæ, & aliæ futuræ, & hæc duratio est tempus ab Aristotele explicatum. Hac duratione mensurantur intentionaliter etiam entia permanentia; sic dicimus primum Angelum iam durasse tot annos, quia coexistit tot circulationibus primi mobilis; licèt enim mensura physica & realis, quæ per simplicem applicationem mensurat, debeat esse homogenea cum mensurato, non est necesse vt sit homogenea mensura, quæ applicatur intentionaliter, scilicet cum ratiocinio saltem virtuali, vt fit quandò iudico me aut Angelum durasse tot annos, quot sunt primi mobilis circulationes.

Ex his manifestè patet tàm motum quàm tempus esse genera quantitatis continuæ successiuæ, cum habeant aliquam extensionem & diuisibilitatem in partes priores & posteriores. Nec obstat, quòd numerus numerans sit quantitas discreta

screta, quia vt vidimus, tempus non est numerus numerans, sed numeratus.

Quæres. Quomodò tempori attribuatur corruptio, non autem generatio, cum tamen vtraque fiat in tempore.

Resp. Quia generationis semper apparet aliqua causa, cui proinde generatio tribuitur. At cum in multis corruptionibus, vt cum senio deficit animal, non sit manifesta, sed lateat causa corrumpens, solet propterea tribui tempori talis corruptio, ad differentiam illarum corruptionum, quarum manifesta nobis est causa, quas propterea non tribuimus tempori, vt cum ab inimico occiditur homo, dicimus enim ipsum ante tempus obijsse, quia inimico occidenti, & non tempori tribuimus eius mortem.

IN QVINTVM
Aristotelis Librum de Physico Auditu.

DISPVTATIO VNICA
De speciebus motus.

EXplanato motu, & ijs quæ consequũtur motum in cõmuni, diuisionẽ motus in suas species hîc Philosophus tradit.

QVÆ-

QVÆSTIO VNICA
Quot sint species motus.


VT ad quæstionem propositam facilè respondeamus, prænotandum est, triplici modo aliquid transmutari, scilicet per accidens, secundùm quid, & simpliciter. Per accidens, est, cum mutatio accidit alicui non vi eius, quod habet: e. g. cum dicitur musicus mouetur, motus enim accidit huic homini non vi musicæ. Secundùm quid, est, cum res dicitur mutari, quia aliqua eius pars mutatur: e. g. dicitur sanari homo, quia sanatur eius manus aut pes, quæ sunt eius partes. Simpliciter, est, cum aliquid primò & per se, scilicet non ratione partis, neque per accidens mutatur: e. g. lignum calefit non ratione alicuius suæ partis, sed quia totum & secundùm se est calefactibile. His prænotatis.

Iam dicit Philosophus, quòd tria sunt genera motus, scilicet motus localis, alteratio, & augumentatio. Omnes motus, qui sunt in vnâ coordinatione prædicamenti, e. g. omnes motus locales, dicuntur vnus motus genere. Motus rerum, quæ in alias species non diuiduntur, dicuntur vnus motus specie: e. g. quia albedo non diuiditur in alias species, omnis dealbatio est vnus specie motus.

Vnus

Vnus verò numero motus est, qui ab vno numero subiecto in eâdem specie vel genere & eodem tempore fit: e. g. si Petrus hoc tempore ambulet, eius ambulatio est vnus numero motus; quarè ad vnum numero motum tria requiruntur, scilicet vnitas tẽporis, vnitas rei in qua est motus, & vnitas subiecti quod mouetur.

Cuilibet motui accidit esse regularem, vel irregularem. Motus est regularis, quandò tota alteratio est vniformis, & quandò mobile mouetur in magnitudine regulari & vniformi. Dicitur magnitudo vniformis, cuius quælibet pars est posita vniformiter post aliam partem, vt est in lineâ rectâ & circulari. Motus irregularis ex duplici capite contingit, scilicet ex parte magnitudinis non vniformis, vel ex parte modi ipsius motus. Magnitudo est non vniformis, quandò non quælibet pars vniformiter est posita post aliam: e. g. in his duabus lineis, quæ



faciunt angulum A in punćto A, vna applicatur alteri, non in directum, sicuti applicantur sibi inuicem in directum partes vnius & eiusdem lineæ; quarè motus obliqui & reflexi, quia faciunt angulum, sunt irregulares.

Ex parte modi est irregularis motus, cum vna pars est aliâ velocior; velocitas & tarditas, cum in qualibet specie motus reperiri possint, non sunt species, nequè differentiæ motus, cum nulla species & differentia possit esse in omni specie sui generis.

Contrarietas motuum desumitur ex contrarietate terminorum, ad quos terminatur motus. Ratio est, quia cum contrarietas sit differentia secundùm formam, ab eo motus recipit contrarietatem, à quo recipit formam seù speciem, scilicet denominationem: sed hanc recipit à termino ad quem, e. g. dicimus dealbatio est motus ad albedinem, calefactio ad calefactionem, sanatio ad sanitatem; ergò à termino ad quem recipit cõtrarietatem.

Hinc satis liquet quietem in termino ad quem, esse perfectionem ipsius motus, ac proindè non contrariari motui, qui ad ipsam tendit; sed illam solam quietem esse motui contrariam, quæ est in termino à quo: e. g. motui ex ægritudine ad sanitatem non contrariatur quies in sanitate, sed quies in ægritudine, à qua proindè motus recedit.

IN SEXTUM
Aristotelis Librum de Physico
Auditu.

DISPVTATIO VNICA

De Continuo.

QVantitas est accidens illud, quo satisfacimus interroganti quanta res est? sic interroganti quantum est hoc lignum? respondemus, bipalmare &c.

Alia est continua, alia discreta. Continua est, cuius partes termino communi copulantur, vt partes ligni, lapidis, & cuiuslibet alterius molis. Discreta est, cuius partes nullo communi termino copulantur, vt sunt numeri 2. 4. 6. &c. De quantitate continua nobis in hoc libro sermo est, quam supponimus esse accidens distinctum à rei substantiâ, tùm quia dum respondemus interroganti quãta res sit? non explicamus rei substantiam, dicendo esse magnam vel paruam; non enim exprimimus quid sit; tùm quia in venerabili Eucharistiæ Sacramento pereunte panis & vini substantiâ, non perit quantitas; ergò euidens est quantitatem à substantiâ distingui, ac proindè esse accidens.

QVÆSTIO I.

In quo consistat formalis effectus quantitatis.

QVidam in ratione mensuræ aptitudinalis actiuæ, scilicet qua vnum aptum est mensurare alterum, vel in ratione mensuræ passiuæ, qua vnum aptum est mensurari ab altero, consistere dixerum quantitatis rationem. Alij effectum eius formalem ponunt in eo, quod det extensionem partibus in loco. Alij in eo, quod partes vnam extra aliam ponat in ordine ad se ipsas.

Dico. Effectus formalis quantitatis consistit in exigentiâ naturalis impenetrationis cum alio subiecto quanto.

Prob. Quia ille est effectus formalis primarius alicuius formæ, qua per nullam aliam tribuitur, & quo habito præcisè & intellecto habetur & intelligitur in subiecto forma: sed à nullâ aliâ formâ quàm à quantitate tribuitur corporibus impenetrabilitas, & hac habitâ præcisè & intellecta habetur & intelligitur in subiecto seù corpore quantitas; ergò impenetrabilitas, seù exigentia impenetrationis, est effectus formalis primarius quantitatis.

I. Ob. Dici potest effectum formalem quantitatis esse extreitatem partium in ordine

ordine ad locum, ideſt, extendere partes in loco: ergò &c.

Reſp. Hoc eſſe proprium vbicationis circumſcriptiuæ, quæ per hoc à definitiuâ diuerſificatur. Profectò habet Corpus Chriſti totam ſuam quantitatem ſub ſpeciebus Euchariſticis, & tamen non habet partes extenſas in ordine ad locum, quia caret vbicatione circumſcriptiua; ergò extendere partes in ordine ad locum eſt munus vbicationis, & non quantitatis.

II. Ob. Dici poteſt, quòd effectus formalis quantitatis ſit extreitas partium in ordine ad ſe; aut quòd ſit ratio menſuræ aptitudinalis ſeù actiuæ ſeù paſſiuę; ergo &c.

Reſp. Partes per ſe ipſas eſſe aptas facere totum huius aut illius figuræ, & non eſſe inuicem identificatas, ſed diſtinctas; habent enim mutuam negabilitatem in recto, cùm pars materiæ capitis non ſit materia pedis, & è contra; ideôque non conſtituuntur vna extra aliam per quantitatem. Nec etiam rectè conſtituitur ratio quantitatis in ratione menſuræ; nam æquale vel inæquale conſequuntur ad quantitatem, ſicuti ſimile aut diſſimile ſequuntur ad qualitatem, non autem ſunt ipſa ratio quantitatis.

QVÆSTIO II.

Vtrùm continuum componatur ex punctis mathematicis?

TRiplex de compositione continui sententia est. Prima dicentium com poni ex punctis Zenonicis, quæ plerique mathematica appellant. Secunda putantium componi ex partibus in infinitũ diuisibilibus; tales tamen partes aliquas esse actu distinctas, alias non actu sed potentiâ tantùm distinctas quidam eorum affirmant; alij vero nullas actu partes in continuo distinctas admittunt, sed omnes in potentiâ, ità vt quantitas capitis & pedis sit actu eadem & indistincta, solùmque capax vt distinguatur per diuisionem. Tertia sententia docet continuum componi ex punctis physicis actu finitis & distinctis.

Punctum Zenonicum est quantitatis pars indiuisibilis adeò minima, vt illa minor nequidem concipi possit.

Dico. Continuum non componitur ex punctis Zenonicis.


I. Probatur; quia admissis punctis Zenonicis nullum mobile velociùs alio moueretur: sed aliquod mobile mouetur alio velociùs; ergò nō sunt admittẽda puncta Zenonica. Sequela maioris probatur; quia si moueantur simul ceruus & testu-

do

do, non poteſt hæc minus percurrere quã ille, quia minus indiuiſibili excogitari nequit; ergò tot indiuiſibilia percurrit teſtudo quot ceruus; ergò ceruus non eſt velocior teſtudine.

Reſpondent, motum teſtudinis eſſe tardiorem, quia poſt ſingula inſtantia motus intercipitur morula per vnum inſtans: e. g. poſtquam teſtudo cucurrit primo inſtanti vnum indiuiſibile ſpatij, ſecundo inſtanti quieſcit, in tertio mouetur, in quarto quieſcit, & itá in cæteris; cum tamen ceruus numquam quieſcat.

Sed contrà. Dum rota mouetur, circuli minores concentrici, parteſque rotæ



viciniores centro tardius mouentur quã circuli remotiores à centro, & tamen nullæ intercedunt morulæ in minoribus circulis, partibuſque centro vicinioribus; ergò nequit ſaluari velocitas, & tarditas


tas motus per morulas.

II. Probatur; quia omnis linea potest diuidi bifariam æqualiter; sed admissis punctis Zenonicis linea constans quinque punctis non posset diuidi æqualiter, cum punctum excedens bipartito secari nequeat nec physicè nec imaginariè, alioquin si secaretur saltem imaginariè, punctum Zenonicum non esset id, quo minus excogitari nequit, cum iam conciperetur dimidium puncti, idest quid minus puncto; ergò nequit componi continuum ex punctis Zenonicis.

III. Probatur. Circulus minor concentricus foret æqualis maiori; nam certum est, quod à quolibet puncto circuli maioris possunt duci lineæ rectæ ad centrum, quæ non possunt se tangere nisi in centro, alioquin non essent rectæ, sed obliquæ: sed singulæ lineæ designabunt punctum in circulo minori, cum minus puncto designare non possint; ergò tot erunt puncta in circulo minori, quot lineæ ducentur à maiori: sed ducentur à maiori tot lineæ quot sunt in ipso puncta; ergò tot erunt puncta in minori circulo, quot in maiori, & ità minor erit maiori æqualis. Item diagonalis in quadrato non esset maior latere, quia ex quouis puncto lateris AB ductæ lineæ ad latus CD designabunt tot puncta in diagona-

li

li, quot sunt in latere, operient enim totam diagonalem; ergò diagonalis erit æqualis lateri. Totum hoc patet in subiecta figura.



QVÆSTIO III.

Vtrùm continuum constet ex diuisibilibus in infinitum?

Secunda sententia Plurimorum est putantium se peripateticam de continuo doctrinam optimè tenere, si dicant continuum non esse diuisibile in indiuisibilia, sed in partes, quarum singulæ sunt item diuisibiles in alias minores & minores, ità vt neque per diuinam potentiã possit deueniri ad partem, quæ in alias non sit vlterius & vlterius in infinitum diuisibilis.

Dico. Continuum non constat ex diuisibilibus in infinitum.

I. Probatur. Quia si continuum esset diuisi-

diuisibile in infinita inessent ipsi actu infinita: sed actu infinita implicant, vt supra ostensum est ex doctrina Aristotelica; ergò implicat continuum esse diuisibile in infinita. Sequela maioris probatur; quia nihil est diuisibile, nisi in ea, quæ actu ipsi insunt; ergò si esset continuum diuisibile in infinita, inesset ipsi actu infinita. Antecedés probatur inductione & ratione. Inductione quidé non esset diuisibilis homo in animam rationalem & corpus, nisi actu inessent ipsi anima & corpus: nõ esset diuisibile corpus in caput, pectus, & pedes, nisi actu inessét ipsi caput, pectus, & pedes (semen enim animalis, quod hæc habet in potentiâ tantùm, per nullam diuisionem in illa membra diuiditur) ergò nihil est diuisibile nisi in ea, quæ actu ipsi insunt. Ratione verò probatur idem antecedens; quia diuisio non tollit identitatem sed vnionem; ergò quæ possunt diuidi non sunt idem, sed vnita: vnita autem insunt actu; ergò &c. Antecedens patet, tùm ex ipsâ notione diuisionis, quæ est coniunctorum separatio, tùm ex illo principio lumine naturæ noto, *Idem non potest diuidi à se ipso*, & ex illo vulgatissimo proloquio, *Omnis separabilitas realis est indicium actualis distinctionis*; ergò quæ sunt inuicem diuisibilia & separabilia, non sunt actu idem; sed distincta actu; ergò insunt actu;
ergò

ergò si continuum est diuisibile in infinita, insunt actu infinita, quod implicat.

II. Prob. Quia vel ea, in quæ continuum est per aduersarios diuisibile, insunt actu omnia; vel insunt quædam actu, & quædam potentiâ; vel omnia in potentiâ: nullum ex his sustineri potest; ergò continuum non est diuisibile in infinita. Minor probatur; si omnia insunt actu, datur infinitum actu creatum; quod implicat. Si partim actu partim potentiâ; sic arguo. Dantur aliquæ partes actu in cōtinuo; ergò dantur actu infinitæ partes. Consequentia probatur; ideò dantur aliquæ actu, quia in aliquas est diuisibile: sed est diuisibile in infinitas, seù vt ipsi dicunt, in non tot quin plures; ergò dantur actu infinitæ seù non tot quin plures; non enim est maior ratio cur in ligno bipalmari sint actu duo palmi, & quatuor semipalmi, & non sint actu aliæ partes minores semipalmis, & sic cæteræ.


Nec denique dici potest, omnes partes inesse potentiâ, actu vero nullam esse distinctam; quia si continui nulla pars est actu distincta, sequitur ex doctrinâ Aristotelis non esse continuum; ergò implicat partes in continuo esse omnes potentiâ. Sequela antecedentis probatur; quia quæ sunt actu indistincta, sunt actu idem: sed quæ sunt actu idem, non sunt continuum;

ergò


ergò &c. Minor probatur; quia quæ sunt actu idem, sunt sibi magis intima, quàm ea, quæ sunt actu distincta & compenetrata: sed actu distincta & compenetrata non sunt continuum; ergò nec actu identificata sunt continuum. Maior patet; quia plus est esse intimè præsens per identitatem, quàm per vbicationem. Minor probatur; quia Aristoteles hîc tex. 2. docet indiuisibile Zenonis non posse facere continuum, quia totum tangens totum est in eodem loco cũ alio: sed si partes in continuo sint actu idem, sunt omnes plusquã tangentes se totas, & sunt in eodem loco, ergò multo minus sunt continuum. Addo esse manifestè contra mentem Aristotelis non admittere partes actu distinctas, & loco separatas in cõtinuo; ait enim loc. cit. *Continuum enim habet hanc quidem aliam, illam verò aliam partem, & diuiditur in sic diuersas, & loco separatas.* Rursùs tex. 1 definit, *Continua, quorum vltima sunt vnum.* Vltimum autem, & id cuius est vltimum non sunt idem, sed distincta, idem enim malè dicitur vltimum sui, sed est vltimum alterius, cum vltimum dicatur comparatiuè ad id, quod non est vltimum; ergò per Aristotelẽ in continuo sunt vltima, & alia non vltima, vltima autem & non vltima idem non sunt, sed distincta; quarè idem Phylosophus in s,

ae tex. 1. ait. *Alterum enim est vltimum, & id cuius est vltimum.* Denique tex. 3. probat continuum non constare actu ex indiuisibilibus Zenonicis, quia vnumquodque in ea diuiditur, ex quibus est; ergò sentit esse actu in continuo ea, in quæ est diuisibile, atque adeò esse partes actu non potentiâ. Confirmari posset totum hoc ex eo, quod distinguntur actu & realiter, quibus actu conueniunt contradictoria: sed quantitati capitis & pedis conueniunt contradictoria; ergò &c. Minor patet; nam quantitas capitis est figurata figura rotunda, quantitas pedis non est figurata figura rotunda: sed hæc sunt contradictoria; ergò &c.

I. Ob. Possunt, imò debent in linea finita designari nouæ & nouæ partes in infinitum; ergò continuum est diuisibile in nouas & nouas partes in infinitum. Antecedens probatur ex subiectis figuris.



Si protrahatur in infinitum linea C D, possunt à puncto A duci infinitæ lineæ rectæ in lineam C D, quæ, quo longiores erunt, fient viciniores lineæ A B, nec tamen vnquam peruenient ad implendum totum spatium E F; si enim replerent, linea replens non posset rectè tangere lineam C D: ergò tale spatium licèt angustum, est diuisibile in partes in infinitum; ergò constat partibus in infinitum diuisibilibus. Similiter si producantur in infinitum lineæ parallelæ A B, C D, tùm ex puncto, G ducatur



funis, quo successiuè tangantur in infinitum partes lineæ superioris A B, in linea E F semper nouæ & nouæ partes designabuntur, numquam deueniendo ad finem, quia funis vtpote ductus per puncta lineæ superioris numquam poterit vltimam partem lineæ E F tangere: alioquin linea superior non esset parallela inferio-

feriori; ergò linea finita E F est diuisibilis in partes in infinitum.

Resp. In primis nego suppositum, scilicet & quòd possint protrahi lineæ in infinitum, & quòd ab eodem puncto possint duci lineæ infinitæ, nam est expressè contra Aristotelē lib. 3. Physic. cap. 7. & contra rationes à nobis ibi allatas. Notetur ergò, quod Mathematicus, dum agit de punctis & lineis, nihil curat, an puncta & lineæ sint physicè diuisibiles an indiuisibiles, abstrahit enim ipsa à quantitate prout physicè est à parte rei; solùmque ipsam considerat idealiter, seu vt est in mente ipsius, in qua acceptione ideali, legitima est demonstratio, cum nulla sit implicantia, quòd per nostrum concipiendi modum protrahantur lineæ infinitæ ab eodem puncto, & quòd nostra mens, lineas in infinitum protensas concipiat; hoc autem est spectare extensionem, & non res extensas, de quibus hîc est sermo; quarè cum innumera possit sibi mens fingere, quæ tamen sic esse à parte rei impossibile est, non debemus geometricas demonstrationes de quantitate per mentem abstracta transferre tàm facilè ad quantitatem physicè existentem; propter hoc enim multi Geometræ minùs cautè procedentes inani conatu ad physicam materiam id applicari præsentiunt,

quod

quod sibi in ideâ demonstratum agnouerant; quarè merito dixi prædictas demonstrationes rectè & verè procedere mathematicè, non autem physicè.

QVÆSTIO IV.
Vtrùm continuum constet ex punctis physicis.

PVnctum physicum sic dictum, tùm vt distinguatur à Zenonico, tùm quia est physica & realis entitas, est quid realiter indiuisibile, virtualiter tamen diuisibile, idest re uerâ diuidì nequit in plures partes, æquiualet tamen pluribus minoribus & minoribus in infinitum, ità vt tantùm valeat, quantum plura minora & minora in infinitum, eo pacto quo anima rationalis est realiter indiuisibilis, quia in plures animas seù partes diuidi nequit, est tamen virtualiter diuisibilis, quatenùs æquiualet pluribus & pluribus animabus inferioribus in infinitum. Æternitas Dei est realiter indiuisibilis, virtualiter verò diuisibilis, quia re ipsâ diuidi nequit in plures durationes, est tamen virtualiter diuisibilis, quia æquiualet pluribus durationibus distinctis minoribus & minoribus in infinitum.

Porrò punctum physicum duobus modis est diuisibile virtualiter seù potentiâ. Primo intrinsecè, quatenùs dato quouis

puncto

puncto potest aliud dari minus & minus in infinitum. Secundo extrinsecè, idest potest coextendi pluribus, & pluribus in infinitum. Est impenetrabile, alioquin totum constans ex penetrabilibus, non esset impenetrabile. Est etiam extensum, continuum enim, quod est extensum, nequit non constare ex extensis. Nec miretur aliquis entitatem indiuisibilem & extensam dici, quia in schola Diui Thomæ est communissima opinio animas brutorum, licèt materiales, esse indiuisibiles & extensas. Similiter Angelus, licèt actu indiuisibilis, potest tamen coextendi spatio diuisibili, & sic concipi extensus.

Ex his liquet, quod sicuti, si darentur puncta Zenonica, ad hoc vt vnum indiuisibile physicum æquiualens quatuor illorum existeret, e. g. in quatuor punctis spatij, deberet habere quatuor partiales vbicationes, aut vnam illis æquiualentem; ità similiter, vt existat adæquatè in indiuisibili physico spatij æquiualente, e. g. quatuor Zenonicis, debet habere quatuor partiales vbicationes, aut vnam illis æquiualentem, quòd si habeat vnam vel duas partiales vbicationes, existet in illo indiuisibili spatij non quidem adæquatè, sed inadæquatè.

Exemplo res fit clara. Quia natura humana æquiualet naturæ plantæ, & bru-

ti, & insuper est intellectiua; vt intellectus adæquatè ipsam cognoscat, debet habere tres partiales cognitiones, quarum vnâ cognoscat vt vegetatiuam, aliâ vt sensitiuam, & aliâ vt rationalem, aut saltem vnam cognitionem his æquiualentem; quòd si vnam vel duas tantum partiales cognitiones habeat, cognoscet naturam humanam inadæquatè. Sicuti autem naturaliter per quatuor, e. g. partiales vbicationes indiuisibile physicum existit adæquatè in vno indiuisibili spatij, ità per quatuor partiales vbicationes potest existere in quatuor indiuisibilibus spatij, in singulis inadæquatè; patet enim nihil plus requiri ad existendum in quatuor inadæquatè, quam ad existendum in vno adæquatè. His præmissis.

Dico. Continuum componitur ex punctis physicis finitis.

Prob. Continuum, vt vidimus, non constat ex diuisibilibus in infinitum; ergò constat ex indiuisibilibus, non Zenonicis, neque infinitis; ergò ex physicis & finitis. Confirmatur; quia illa sententia est amplectenda, quæ rei naturam & proprietates ità explicat, vt omnia vitet inconuenientia: sed huiusmodi est sententia componens continuum ex punctis physicis, vt patebit in solutione obiectionum; ergò &c.

I. Ob.

I. Ob. Punctum additum puncto non facit extensionem; ergò continuum constare nequit ex punctis. Antecedens probatur; quia vel punctum tangit punctum secundùm se totum, vel secundùm aliquid sui. Si secundùm aliquid sui; ergò datur in puncto aliquid & aliquid, & sic partes, ac proindè non est indiuisibile. Si secundùm se totum; ergò penetratur cum puncto: sed quod penetratur cum alio non facit extensionem; ergò &c.

Resp. Plus est identificari, quàm se tãgere secundùm se tota, & tamen partes potentiales ab innumeris admissæ, cum actu sint identificatæ, faciunt extensionem; cur ergò extensionem non facient puncta actu distincta, quæ se tantùm tangunt? In forma, nego antecedens; facit enim lineam. Ad probationem posset negari suppositum; nam propositio illa disiunctiua, *vel tangit secũdùm se totum, vel secundùm aliquid sui*, fieri potest solùm, vbi reperitur ratio totius, & ratio partis, quòd vtique in puncto physico non reperitur. Nihilominus concesso, quòd punctum tangat puctum secundùm se totum, nego consequentiam; quia penetrari cum alio est esse in eodem loco, non autem illud secundùm se totum tangere: quæ se tangunt sunt vnum ità iuxtà aliud, vt

nihil inter ipsa mediet; quæ verò sunt penetrata, sunt ambo in eodem loco; sic ego modò sum ita præsens toti diuinæ immensitati, vt non sim præsens omnibus locis, quibus præsens est diuina immensitas; sic mea manus ità est præsens, & quasi tangit totam meam animam, vt tamen non sit vbicumque est mea anima. Similiter si duo Angeli ità iuxtà ponantur, vt nihil mediet inter vtrunque, potest vnus occupare locum ad orientem, & alter ad occidentem, & sic licèt secundùm se totos entitatiuè se tangant, non tamen erunt compenetrati, cum eidem loco ambo non respondeant.

II. Ob. Omnis linea diuidi potest bifariam æqualiter: sed si detur linea constans septem punctis non poterit sic diuidi; ergò continuum non constat ex punctis.

Resp. Distinguo maiorem, potest diuidi mathematicè, concedo; physicè, nego: potest diuidi mathematicè, quia cum mathematica diuisio perficiatur imaginatione, nulla potest diuidi linea, cuius subduplam non possit intellectus concipere. Si verò quis non tantum imaginariè, sed per decussationem velit diuidere lineam constantem septem punctis, linea diuidens cadet in quartum punctum, & ex vtrâque parte puncti, in quod cadet, re-

lin-

linquet æqualem numerum punctorum, scilicet hinc tria; & indè tria; & in alterutrâ ex his significationibus intelligendum est, posse quamlibet lineam æqualiter diuidi.

III. Ob. Etiam in hac hypotesi est inexplicabile, quomodo circulus minor non sit æqualis maiori concentrico; à quolibet enim puncto maioris poterunt duci lineæ rectæ ad centrum, quæ in minori totidem puncta designabunt, & sic erunt tot puncta in minori, quot in maiori.

Resp. Distinguo, à quolibet puncto circuli maioris duci possunt ad centrum lineæ rectæ mathematicę seù imaginariæ, concedo; physicæ & reales, nego; nam in minori circulo se confunderent, & sic non erunt rectæ; nec tot designabunt puncta in minori, quot in maiori. Rursùs etiam dato, quòd possent à quolibet puncto circuli maioris duci lineæ rectæ physicæ, & hæ transirent per circulum minorem, non sequitur in nostra hypotesi circulum minorem esse æqualem maiori; nam linea, quæ in circulo maiori habet vbicationem adæquatam, per quam adæquatè correspondet vni indiuisibili, habet in circulo minori vbicationem inadæquatam, per quam correspondet inadæquatè vni indiuisibili, scilicet quatenùs æquiualet vni

indiuisibili Zenonico, & ità quatuor lineæ: e. g. quæ in circulo maiori per quatuor vbicationes adæquatas signant quatuor puncta, in circulo minori per quatuor vbicationes inadæquatas signant vnum tantum punctum; ex quo liquet, quomodò circulus minor non sit æqualis maiori.

IV. Ob. Nequit etiam in hac hypotesi explicari, quomodò ceruus currat velociùs, quàm testudo; ergò &c.

Resp. Nego antecedens, & explico. Dum ceruus & testudo currunt e. g. quatuor instantibus temporis, ceruus primo instanti acquirit vbicationem adæquatam, per quam adæquatè correspondet vni indiuisibili spatij; secundo instanti aliam adæquatam, & sic tertio, & quarto; quarè quatuor instantibus quatuor indiuisibilia spatij percurrit. Testudo verò primo instanti acquirit vnam vbicationem inadæquatam, secundo instanti aliam inadæquatã, & sic tertio, & quarto; quarè quatuor instantibus acquirit quatuor partiales vbicationes, per quas adæquatè correspondet vni indiuisibili, quatenùs scilicet illud æquiualet e. g. quatuor Zenonicis; atque ità quatuor instantibus testudo sistitur in vno tãtum indiuisibili adæquatè.

V. Ob. Nequit in hac hypotesi explicari

cari rarefactio & condensatio; ergò &c.

Resp. Nego antecedens, & explico. Rarefit e. g. aqua, cum quolibet indiuisibile aquæ, quod prius erat adæquatè in vno tantum indiuisibili spatij, ponitur in pluribus spatij indiuisibilibus, in singulis inadæquatè, atque adeò eadem omnino aqua maius occupat spatium: tunc verò densatur, quando quodlibet indiuisibile aquæ, quod erat inadæquate in pluribus indiuisibilibus spatij, ponitur adæquate in paucioribus. Hæc explicatio fundamentum habet in ijs, quæ Aristoteles 4. physic. tex. 84. & 85. de raro & denso docet, scilicet quòd cum vna eademque sit materia rari & densi, non fit rarum & densum per additionem partium subintrãtium, vel subtractionẽ earundem, vt dicunt, qui ponunt vacuum inter partes corporis; sed per hoc, quòd materia earundem partium recipiat in rarefactione maiores dimensiones, in condensatione verò minores: sicuti si conuexitas maioris circuli restringatur ad minorem circulum, fit magis curuum non per hoc, quòd producatur de nouo circularitas in aliqua parte, quæ anteà non esset circularis, sed recta; sed quia, quod erat minus curuatũ, fit magis curuatum; quæ omnia manifestè declarant, in rarefactione acquiri tantùm plures vbicationes inadæquatas in-

pluribus indiuisibilibus spatij, in condensatione verò acquiri vbicationes adæquatas in paucioribus indiuisibilibus.

VI. & vlt. Ob. Aristoteles 8. physic. tex. 68. ait *In continuo insunt quidem infinita dimidia, sed non actu, sed potentia* & lib. 1. de generat. c. 2. tex 9. *Omne corpus sensibile quouis in puncto esse diuisibile, atque indiuisibile nihil est absurdum potentia, si quidem diuisibile existit, actu indiuisibile*; ergò continnum non constat ex punctis physicis. Rursùs si darentur hæc puncta, possent duæ lineæ altera ducta ex oriente, altera ex occidente terminari ad idem punctum, & illud tangere in diuersis locis; nam alia est facies, qua punctum spectat orientem, alia qua spectat occidentem; ergò in eodem puncto essent diuersæ partes, & sic non esset indiuisibile. Denique si punctum physicum materiæ esset indiuisibile, substantia materialis haberet proprietates spiritualis, cum sit proprium rei spiritualis indiuisibilitas.

Resp. Aristotelis mentem esse, quòd in continuo sint infinita dimidia potentiâ, idest virtualiter, & æquiualenter, quatenus quodlibet indiuisibile physicum æquiualet minoribus & minoribus in infinitum, & in hoc sensu verificatur, continuum esse diuisibile in infinitum. Dum dicit, *quouis in puncto*, iam fatetur in

continuo esse puncta, non Zenonica, quæ expressè impugnauit, igitur physica. Quòd autem diuisibilitas potentiâ sit diuisibilitas virtualiter & æquiualenter, clarum est consideranti discrimen inter indiuisum & indiuisibile: indiuisa enim sunt quæ licèt actu seiuncta non sint, possunt tamen inuicem seiungi; at indiuisibilia sunt, quæ nec actu seiuncta inuicem sunt, nec seiungi possunt; cum ergò dicit Aristoteles punctum continui esse actu indiuisibile, idem est ac si dicat, carere potentiâ ad veram & realem diuisibilitatem; sicuti, cum dicimus, *color non est gustabilis*, non solum significamus actu non gustari, sed nec habere potentiam vt gustetur: si igitur continui punctum est indiuisibile, non habet potentiam vt diuidatur; dum dicitur potentiâ diuisibile, significatur virtualiter & æquiualenter diuidi posse. Ad secundum respondeo, lineas orientalem & occidentalem terminari ad diuersas facies puncti diuersitate connotati, idest spatij puncto circumfusi, concedo; diuersitate entitatis in puncto, nego: habet quidem punctum diuersas facies non entitatiuè, sed purè connotatiuè, quatenùs non est idem spatium ipsi circumfusum, & ab ipso connotatum ad orientem, ac connotatum ad occidentem; sicuti si Angelus quadripal-

mariter extensus sit, & iuxtà ponatur vnus Angelus ab oriente alter ab occidente, non designabunt in Angelo partes diuersas, sed puras connotationes, seù respectus extrinsecos. Ad vltimam instātiam, nego, esse proprietatem rei spiritualis indiuisibilitatem; in schola enim Thomistica brutorum animæ indiuisibiles affirmantur, & tamen spirituales non sunt. Res ergò materialis, licèt indiuisibilis, exigit extensionem impenetrabilē, spiritualis verò habet extensionem penetrabilem.

IN SEPTIMVM
Aristotelis Librum de Physico Auditu.

DISPVTATIO VNICA

De motu in ordine ad motorem.

HActenùs egit Philosophus de motu secundùm se, & de ijs quæ ad ipsum consequntur. Hîc agere instituit de motu comparatiuè ad motores & mobilia.

QVÆSTIO I.

Vtrùm omne quod mouetur ab alio moueatur?

DAri aliqua,quæ non habent in se principium sui motus, ac proindè ab extrinseco,scilicet ab alio mouentur, manifestum est in omnibus, quæ per violentiam mouentur, vt lapides sursùm proiecti, & similia. Quia tamen aliqua habent in se principium sui motus, vt animata &c. ideò an etiam hæc ab alio moueantur inquirendum est.

Dico. Omne, quod mouetur, ab alio moueri necesse est.

Prob. Quia, quod necessariò quiescit ad quietem alterius,non mouetur à se,sed ab alio: sed omne corpus mobile necessariò quiescit ad quietem alterius;ergò non mouetur à se, sed ab alio. Minor probatur: quia omne mobile est diuisibile: sed quod est diuisibile, necessariò quiescit ad quietem alterius;ergò &c. Minor probatur; quia si diuidatur e. g. corpus hominis ab eius animâ, cessat moueri corpus,& quiescente corpore necessariò quiescit totum; ergò quod est diuisibile,necessariò quiescit ad quietem alterius. Quòd quienscente corpore quiescat totum, patet; nam implicat moueri per se totum, cuius vna pars quiescit; ergò quiescente

parte quiescit totum; ergò totum non moueтur à se, sed ab alio. Rursus vel moueatur creatura ad esse simpliciter, vel ad esse tale, scilicet accidentale, non potest moueri à se; ergò ab alio moueri necesse est. Antecedens probatur: quia, quod mouetur ad esse simpliciter, idest producitur, est posterius naturâ quàm causa ipsũ producens; ergò producitur ab alio. Consequentia est euidens; nam si produceretur à se ipso, esset prius naturâ se ipso, & sic esset antequàm esset. Quòd verò mouetur ad esse tale, scilicet accidentale, pariter ab alio mouetur; nam vel mouetur ab extrinseco, vt mouentur proiecta, & sic ab alio; vel ab intrinseco, vt animata, & sic pariter ab alio saltem inadæquatè distincto, scilicet distinctione includentis & inclusi. Denique motus est aliquid consequens ad esse rei mobilis; ergò ab illo datur motus à quo datur esse, iuxta illud *Qui dat esse dat consequentia ad esse*: sed esse datur mobili ab alio; ergò & motus saltem remotè datur ipsi ab alio; ergò omne, quod mouetur, ab alio moueri necesse est.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrùm mouens agere possit in mobile distans?

PRænotandum est, posse mouens dupliċi pacto distare à mobili. Primo distantiâ suppositi, sed non virtutis, sic distat sol à terra, quia non est præsens terræ per suum suppositum, seu ẽtitatem; est tamen præsens per suam virtutem scilicet per lucem, calorem, & alias qualitates, quas diffundendo per spatium intermedium immittit vsque ad terram. Secundo distantiâ, & suppositi, & virtutis; sic distat à nobis ignis romanus, qui nec per suam entitatem, nec per suam virtutem nos attingit. De hac secundâ distantiâ præsens est difficultas, an scilicet aliquod mouens, quod distet supposito, & virtutem non diffundat per medium, possit agere in mobile.

Dico. Mouens nequit agere in mobile, cui præsens non sit, aut præsentiâ suppositi, aut præsentiâ virtutis.

Prob. Quia mouens est perfectiuum mobilis: sed vt perfectiuum perficiat perfectibile, debet ipsi aliquo modo applicari; ergò &c. Minor probatur: quia forma nequit perficere materiam, nisi ipsi sit intimè applicata; ergò perfectiuum nequit perficere perfectibile, nisi sit ipsi

applicatum. Confirmatur; quia si mouens neque præsentiâ suppositi, neque presentiâ virtutis esset applicatum mobili, nihil mouentis attingeret ipsum mobile: sed cum nihil mouentis attingit mobile, non mouetur mobile à mouente; ergò &c. Minor probatur; quia per hoc præcisè mobile nō mouetur à mouente, quandò mouēs nō agit, quia nihil mouētis attingit mobile; ergò si nihil mouentis attingat mobile, hoc ab illo non mouetur: sed si mouens distet tùm supposito, tùm virtute à mobili, nihil mouentis attinget mobile, & hoc ità se habebit, quandò mouens agit, ac quandò non agit, in vtroque enim casu æquè aberit ab ipso mouens; ergò nisi sit præsens mouens, vel supposito, vel virtute, non agit in mobile. Denique non alia potest reddi ratio, cur ignis possit calefacere ad tantam distantiam, & non maiorem, & sic de cæteris agentibus, nisi quia eorum virtus vtpote commensurata ipsorum naturæ, & perfectioni limitatæ ac finitæ, potest peruenire vsque ad illam distantiam, & non vlteriùs; ergò agentia naturalia, vt agant, debent saltē per suam virtutem peruenire ad mobile; ergò nequeunt agere in distans.

I. Ob. Magnes distans trahit ferrum, succinum paleas, & lapis proiectus mouetur in aere, etiamsi mouens non sit præ-

sens

sens; ergò &c.

Resp. In magnete & succino reperiri virtutem, quam diffundunt per medium vsque ad passum, qua virtute fiunt præsentes istæ causæ suis mobilibus, & hoc patet ex eo, quod fortiùs trahunt viciniora, minùs fortiter remotiora, & nullo modo ea, quæ suut valdè remota; quòd non aliundè prouenit, nisi quia virtus maior diffunditur in spatium vicinum, & paulatim debilitatur, donec omninò desinit.

II. Ob. Puluis sympathicus & vnguentum armarium sanant vulnera etiam distantia; ergò mouens mouet mobile distans.

Resp. Etiam hæc, licèt distent supposito, sunt mobili propinqua per suam virtutem; ac proindè non agunt in distans. Sed vt res clarior fiat

QVÆSTIO III.

Quo pacto agant puluis sympathicus, & vnguentum armarium.

I. PRænotandum est, quod sympathia est mutua diuersorum corporum ad inuicem consensio & inclinatio à naturâ insita. Antipathia vero est diuersorum corporum naturalis dissensio.

II. Prænotandum, præter quatuor qualitates primas, quæ *manifesta* dicuntur, scilicet

licet calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, alias dari, quæ quia sensibus non immediatè & per se, sed mediatè, & per suos tantùm effectus subijciuntur, *insensibiles* & *occultæ* vocantur; dici solent etiā *specificæ*, quia certæ speciei corporum naturalium insitæ sunt: sic experimento artis medicæ compertum est, reperiri qualitates *catharticas*, scilicet purgantes, *smecticas*, scilicet abstersiuas, *diureticas*, scilicet mouentes vrinam, *narcoticas* scilicet inducentes stuporem, *causticas* scilicet adurentes, *deleterias* scilicet natiuum calorem delentes, & alias, quæ profectò cum manifestis seù quatuor primis qualitatibus, confundi non possunt; nec enim aqua pura licèt frigidissima, vinum sublimatum seù aquauitæ, licèt maxime calidum, numerantur inter deleteria, vt numeratur venenum, nec per excessum vllius primæ qualitatis fiunt effectus, qui ab insensibilibus qualitatibus producuntur, inter quas, vt cæteras mittā, qualitas magnetica id manifestissimè cōprobat, cuius proprietates quicumque animaduerterit, insēsibilium qualitatum existentiam in dubiū reuocare non audebit. His prænotatis,

Dico, iuxtà pulueris sympathici & vnguenti armarij Propugnatores. Puluis & vnguentum sympathicum non agunt in distans, sed diffundendo vir-

tutem vsque ad passum.

Prob. Quia quoties aliquod agens vehementissimè agit in mobile proximum, moderatè in minùs proximum, & debiliùs in magis remotum; signum est agere diffundendo virtutem per medium: sed hoc pacto agunt puluis & vnguentum sympathicum: ergò. Maior inductione patet, præsertim in igne, qui immediatè applicatus passo ipsum comburit, moderatè distans leniter calefacit & fouet, magis remotus minus calefacit. Minor patet experientiâ; nam puluis immediate applicatus vulneri tâm vehementer agit vt interimat, moderatè distans fouet, ac in maximâ distantiâ debilius operatur; quare Papinius insignis eius propugnator ait, quòd *licèt operetur in loco quantumuis remoto, præstat tamen moderata loci intercapedo*: & eruditissimus Hyeronimus Vitalis Clericorũ Regularium Theatinorum insigne decus, in suo lexico mathematico, digressione Physico-theologica ad verbum *Sympathia* Quæst. 1. n. 15. inquit, *Puluis fortiùs agit immediatè vulneri applicatus quàm sanguini, sed ea vtique virtute agit, quæ nimietate sua ægro noxia sit, & maximè violenta; sanguini autem diffito applicatus temperata, lenior & oportuna.* Ergò agit, virtutem diffundendo per medium vsque ad passum. Confirmatur; quia videmus

demus, quòd si linteo cruento solum venenum inspergatur, non nocet ægro; si verò mixtum fuerit cum puluere, interimit, ergò signum est vim pulueris veluti vehiculum, trahere venenum secum vsque ad vulnus; ergò puluis fit præsens passo præsentiâ virtutis.

Ob. Si puluis operaretur diffundendo virtutem vsque ad passũ, eius actio posset impediri interpositione parietum, & aliorum corporum, sicuti impeditur illuminatio solis, calefactio ignis, & similia: sed hoc est falsum; ergò non agit diffundendo virtutem per medium; ergò agit in distans.

Resp. Nego sequelam maioris; nam plurimæ sunt qualitates insensibiles, quæ interpositione corporum non impediuntur à proprijs effectibus in loca distantia producendis; sic à densitate terræ non impeditur sol, quin producat in eius visceribus aurum: luna etiam sub nostro delitescens emispherio causat in selenite lapide, quamtumuis intra parietes & in scrinijs probè concluso, motus & maculas lunares: vis magnetica nullius obiectu corporis impeditur, quin polum attingat: si ex panibus in clibano existentibus, & semicoctis sumas placentam, & manibus vel gladio ità discindas, vt suam deperdat formam, alij panes etiam post parie-

tem

cem, & alia obiecta corpora læduntur, & integra crusta à micâ diuellitur. Alia innumera his similia narrat Kircherus in arte magnetica, & Vitalis loco nuper citato; quarè mirum non est, quod etiam insensibilis qualitas pulueris obiectu parietum à suo effectu non impediatur.

Multi puluerem sympathicum, vel nihil agere, vel si agit, ope cacodæmonis operari contendunt, cum ipsis videatur improbabile, quòd ad quamcumque distantiam operetur, & quòd tot, & diuersi effectus ab vno medicamento, quot requiruntur in curatione vulneris, fiant. Quibus respondent pulueris propugnatores, quòd si astra è Cælis, distantiâ scilicet incomparabiliter maiori, quàm inter puluerem & vulnus sanandum, multa operantur in terris: si montes & alia obiecta etiam valde distantia immittunt ad nos species sui; mirum videri non debet quod puluis suam virtutem ad vulnus transmittat. Ab vno autem & eodem medicamento plures ac diuersos pro duci effectus minus est mirandum; nam, vt cætera sileam, ipse Kircherus P. 7. c. 3. de elixir vitæ docet, naturalem calorem fouere, radicale humidum substentare, crassa incidere, subtilia condensare, mollificare dura, pinguefacere macilenta, & extenuare pinguia. Magnetica vir-

tus

tus talis est, vt duæ acus eidem polo magnetico affricatæ virtutem prorsùs contrariam hauriant. Similiter eadem vis magnetica simul est tractiua, & directiua, & alios plures prorsùs admirabiles effectus præstat; quid mirum igitur, quòd vnus & idem puluis effectus pariter diuersos habeat? Quidquid sit, præter plures Philosophos & Medicos, virtutem sympatheticam huiusmodi defendunt etiã ex Theologis Bertrandus Loth Dominicanus in Resolut. Theolg. tr. 14. q. 1. art. 3. Crescentius in Præsid. Rom. lib. 3. n. 113. Moronus in Respons. moral. respons. 95. n. 167. Ignatius Lupus in edictum sanctæ Inquisitionis P. 3. lib. 19. Paulus Vecchi in Obseruationibus medic. in Sacram Scripturam, obseruat. 60. & Hieronymus Vitalis loco nuper citato, cum alijs. Qui plura de hoc puluere & vnguento parando desiderat, videre poterit Paracelsum eius inuentorem, qui Maximiliano Cæsari donauit, Seruium in libello de unguento armario, Goclenium in Synarchrosi magnetica, Gabelcouerium in practica Germanica, Nagatum, Colerũ & Schenchium.

IN

IN OCTAVVM
Aristotelis Librum de Physico Auditu.

DISPVTATIO VNICA

De primo Motore.

EX illâ veritate, quòd omne, quod mouetur, ab alio moueri necesse est, conclusit Philosophus, ne detur processus in infinitum, deueniendum esse ad aliquem primum motorem immobilem, qui omnia moueat.

QVÆSTIO VNICA
Vtrùm existat primus motor immobilis?

QVoniam proteruæ ceruicis athei existentiam primi motoris negare non erubescunt, admittendo processum in infinitum, licèt lumini rationis repugnet, propterea

Dico. Etiam admisso in creaturis processu in infinitum demonstratur existentia primi motoris.

Probatur. Omne mobile indifferens est ad esse, vel non esse; ergò vt aliquandò sit, debet pro priori naturæ intelligi aliquid, quod ipsum determinet ad esse: sed

hoc

hoc nequit esse, neque vnum, neque alterum, neque infinita mobilia; ergò debet esse aliquid supra omne mobile, seù primus motor immobilis. Minor probatur; quia quod est ex se indeterminatum, & insufficiens ad esse, nequit se solo dare alteri determinationem & sufficientiam ad esse: sed quodlibet mobile vtpote contingens, est ex se indeterminatum & insufficiens ad esse; ergò nullum mobile potest se solo dare alteri determinationem, & sufficientiam ad esse; ergò supra vnum, & alterum, & infinita mobilia, debet dari aliquod, tribuens determinationem & sufficientiam ipsis ad esse; ergò datur primus motor. Confirmatur & explicatur hæc ratio; nam si mendico addatur unus, & alter, & infiniti mendici carentes pane, tàm implicabit dari ab infinitis quàm ab uno & altero panem, quia tàm carent pane infiniti mendici, quàm unus, & alter: sed tàm carent determinatione & sufficientiâ ad esse infinita mobilia, quàm unum aut alterum mobile; ergò tàm repugnat tribui ab infinitis, quàm ab uno & altero determinationem & sufficientiam ad esse; ergò etiam admisso processu in infinitum, debet dari supra omne mobile primus motor immobilis, qui omnibus talem determinationem & sufficientiam ad esse tribuat.

Hæc

Hæc nostrorum summa votorum fuit quandiu non Deum in Deo, saltem Deum in his quæ ab ipso sunt & mouentur, inspicere, ut hîc per speculum & in ænigmate intuentes, quem facie ad faciem uisuros speramus, arctissimo intereà charitatis uinculo prototypon suum complectatur imago.

FINIS

APPROBATIONES

P. Ioseph Maria Ambrogi Ordinis Theatinorum uideat si in opere isto aliquid sit contrarium Sanctæ Fidei & bonis moribus, & referat. Datum 19. Februarij 1681. ab Incarnat.

Alexander Puccius Vic. Gen. Flor.

IVssus à Dominatione tua Illustriss. hanc Philosophici Cosmi *plagam legendo percurrere, nihil in ea offendi, quod bonis moribus aduerfetur, aut quod (sicuti Christianã decet Philosophiam) Diuinæ Fidei non ancilletur. Miratus insuper Authoris ingenium, qui breuitati consulens, ità obscuritatem vitauit, vt singulari cum claritate magis abditos Philosophiæ recessus legentium oculis exponat, ac propterea dignam illam existimo, vt in commodum studiosæ Iuuentutis publica luce donetur. Ex Domo nostra S. Michaelis 23. Februarij 1681. ab Incarnat.*

D. Ioseph Maria Ambrogi C. R. Cõs. S. Off.

Imprimatur seruatis seruandis.

Alexander Puccius Vic. Gen. Flor.

AD Illustrissimum D. Aduocatum Augustinum Coltellini Consultorem Iubilatum huius S. Officij Florentiæ,

vt

vt diligenter examinet præsentem Librũ, cui titulus *Cosmus Philosophicus*, & vbi nihil obstiterit, probet. Datum ex ædibus S. Off. Flor.

F. Franciscus Augustinus Gambarota Cancel. S. Off. Flor.

Quæ de leuandis Tyronibus à molesto scribendi labore in Logicis diximus, nunc rata repetitaque volumus in Physicis, eadem simili modo probantes, vt ad publicam Adolescentium vtilitatem in lucem prodire possint; dumque reliqua Cl. Authoris cupidè expectamus, eidem omnia fausta ex Musæo nostro precamur.

Augustinus Coltellinus.

Die x. Martij 1682. Attenta antedicta attestatione Imprimatur.

F. Franciscus Augustinus Gambarota Canc. S. Off. Flor.

Matthæus de Mercatis Aduocatus pro Serenifs. Magnoduce Etruriæ.

